Hæc Arabica in fine Codicis Roſtgaardiani a Salomone Damaſceno, qui eum deſcripſit, adjecta leguntur.

* * *

نجز من نساخة هذا الكتاب في سنة الف
وستماية وسبعة وتسعين للتجسد الالهي
نحو حساب اللا يتينيين وذالك في مدينة
پهريس المحروسة وقد نسخ من كتاب
تاريخه سنة اثني وخمسين وتسعماية
للهجرة مع الحواشي وقوبل ايضا مع
حواشي مجلد اخر تاريخه سنة تسعماية
وثمانية وثمانين للهجرة حيث محرر اسم
المصنف هكذا برهان الدين الزرنوخي
تلميذ صاحب الهداية

EADEM LATINE.

Finita fuit tranſcriptio hujus libri anno 1697 Incarnationis Divinæ juxta computum Latinorum. Et hoc in urbe Pariſienſi, conſervanda [*à Deo*] & tranſcriptus eſt ex quodam codice cujus æra [*erat*] annus 952 Hegiræ, una cum ſcholiis marginalibus, & collatus fuit inſuper cum ſcholiis marginalibus alterius codicis cujus æra [*erat*] annus 988 Hegiræ, ubi invenitur ſcriptum nomen Auctoris hoc modo, Borhan eddin Ilzarnuchi, Diſcipulus Auctoris [*libri qui inſcribitur*] Ilhidajat, *Directio*.

ALTERA VERSIO

HUJUS LIBELLI ARABICI

CONCINNATA

AB

ABRAHAMO ECHELLENSI

SYRIACARUM ET ARABICARUM

LITERARUM

CHRISTIANISSIMI REGIS

Interprete, ac earundem in Academia Parisiensi Professore

CUM EJUSDEM NOTIS.

ILLUSTRISSIMO D.D.

P. SEGVIERIO

FRANCIAE CANCELLARIO.

ADmiraberis forsan, vir illustrissime, alienigenam hominem, & vix tibi de facie notum, sese conspectui tuo sistere, barbarumque offerre munusculum. At praeter te admirabitur nemo, quia singulari quadam modestia solus ipse magnitudinem tuam non ostentas. Nam si ego ignotus, cuinam, & ubi gentium ille non est notus, cujus sapientiam totus suspicit Orbis, cujus mellea eloquentia ubique mirifice personat, cujus eruditionem mirantur omnes, cujus liberalitatem summam docti ac studiosi quique experiuntur, cujus effusa benignitas cunctos perhumaniter complectitur, cujus prudentia incredibili, & judicio, admiratione omnium, supremus hujus augustae monarchiae regitur magistratus, ut unus quidem tot rebus administrandis, quot aliorum complures vix sufficiunt, non modo par sit, verum etiam supersit? Quidni ergo, si unus ego cum caeteris omnibus, amplissimarum virtutum tuarum allectus & compulsus quodammodo ornamentis, &

ſplendore me conſpectui tuo committere audeam, & barbarum offerre munuſculum, latina toga utcunque veſtitum, ubi alii haud tua magnitudine indigna offerunt. Quia, ut ait D. Hieronymus, *offert unuſquiſque quod poteſt, alii aurum, argentum, & lapides pretioſos, alii byſſum, & purpuram, & coccum offerunt, & hiacynthum: nobiſcum bene agitur, ſi obtulerimus pelles, & caprarum pilos.* Sed quid? hoc munerum ſingulare, ac proprium eſt, ut ſuam ſemper dignitatem, & ſplendorem a digniori capiant, cum offeruntur, vel accipiuntur. Quod cum ita ſit, nec barbarus ſane nec exiguus amplius cenſendus erit is libellus, ſi illum tua dignaberis benignitate, vir ſumme. His quoque acceſſit illuſtriſſimi viri Abbatis Andreae Mondini hominis incomparabilis virtutis, cui plura multis debeo nominibus ob infinita collata mihi beneficia, auctoritas, & conſilium, quod animos addidit. Si ea igitur qua ſoles benevolentia hanc ad ſcientias comparandas excipies ſemitam, magis magiſque animos ad majora addes, Arabumque eruditionem ab incunabulis ad perfectam perduces aetatem, & ex tenebris bàrbariei ad latinam lucem deduces. Quamplurima enim volumina omnis argumenti adhuc latini ſermonis neſcia latent, tum in Bibliotheca Chriſtianiſſimi Regis, tum in celeberrima illà Cardinalis Mazarini, quibus indies quoque immenſa illius principis liberalitate fit acceſſio. Peregregia etiam tam Eccleſiaſticarum, quam profanarum, & naturalium hiſtoriarum, Philoſophiae, Medicinae, Mathematicarum, Moralium, Poëtarum, & Humaniorum literarum, ac omnis generis externarum linguarum exhibet nobis Bibliotheca illuſtriſſimi viri Gilberti Gaulmini Chriſtianiſſimi Regis a ſacratioribus conſiliis, & libellorum ſupplicum praefecti, cunctarum ſcientiarum, & linguarum cognitione, omnium admiratione, unici. Nonnulla quoque Arabica habet vir ille clariſſimus, atque non de Gallia ſola, ſed de univerſo Chriſtiano orbe optime meritus Guido Mi-

chaël

chaël Le Jay regi a consiliis, qui animo plusquam regio opus illud Bibliorum multijuge, quod vix summi principes tentare ausi essent, & aggressus & ad finem, omnium bonorum applausu, perduxit. Aliqua extant quoque Arabica, Persica, ac Turcica apud clarissimum juvenem, & literarum amantissimum, studiosissimumque linguarum Nicolaum Melchisedech Thevenot, & alios doctos viros, quibus regia haec urbs, Orbis ferme reliqui aemula, refertissima est; & plura indies a literarum amantissimis comparantur. Nos etiam non contemnendi argumenti habemus nonnulla Syriaca, & Arabica. Sed quid? Adhuc sane majora, V. I. Orbis Arabibus debet, quod ab interitu vendicarint lucubrationes quamplurimas, quae Graecis, & Latinis, vel temporis injuria, vel incuria hominum, maximo doctorum virorum moerore, & literariae reipublicae detrimento; exciderunt. Quid enim restat Latinis ex CXLII. libris Titi Livii, Romanarum rerum scriptoris eloquentissimi, de quo ita D. Hieronymus ad Paulinum: *Ad Titum Livium lacteo eloquentiae fonte manantem, de ultimis Hispaniarum, Galliarumque finibus quosdam venisse nobiles legimus: & quos ad contemplationem sui Roma non traxerat, unius hominis fama perduxit?* Sane XXXV. tantum. Ubi reliqui? interierunt Latinis suis, integri vero extant apud Arabes, quos barbaros vocant, eorumque unum exemplar servatur in regia hispaniarum Bibliotheca. Graeci quot habent ex Apollonii Pergaei octo libris? quatuor. De reliquis quid factum est? interiere suis, integri tamen extant apud Arabes, habeturque eorum exemplar elegantissime conscriptum in Bibliotheca serenissimi Magni Ducis Hetruriae. Aristotelis quamplurima opera praetereo; de duobus Euclidis postremis libris, nempe 14. & 15. qui habentur in Bibliotheca Eminentissimi Cardinalis Mazarini, nihil dico. Quidni si Salomonis ille liber, in quo *disputavit super lignis, a Cedro, quae est in Libano, usque ad hyssopum, quae*

egreditur de pariete: & disseruit de jumentis, & volucribus, & reptilibus, & piscibus, apud Arabes adhuc reperiatur? Certe inter ipsos hactenus eo sub nomine circumfertur, ajuntque reginam Sabae, seu Arabiae illum habuisse a Salomone Arabice versum, cum venit tentare eum in aenigmatibus. Et quidem, si Salomonis non est, Salomone forte non est indignus. Hanc igitur literariam disciplinam tua ut illustres eruditione, V. I. condias sapientia, promoveas auctoritate, meque alienigenam, qua soles alios benignitate, in tua complectaris clientela humiliter exoro, dum omnia tibi fausta precor, atque sum.

Humillimus & obsequentissimus servus

ABRAHAMUS ECCHELLENSIS.

PRAE-

PRAEFATIO OPERIS
AD
LECTOREM.

NEscio quo errore persuasum est, Lector humanissime, Mahometum pseudoprophetam illum Arabem sequacibus studia literarum omnium interdixisse, ut nihil propterea sapere isti velint, nec alios vel intueri libros praeter unum Alcoranum; cum nulla tamen sit gens forsan, quae literas, & literatos aeque veneretur, nulla, quae libros tam ab Hebraeis, Syris, Chaldaeis, Aegyptiis, Indis, Graecis, Latinis, aliisque nationibus, quam a suis Auctoribus profectos, acuratius perquirat, diligentius exscribat, ac in suam vertat Arabicam linguam, vel horum interpretes liberalius compenset. Unius Almamuni gentis Chalifa, seu Imperatoris, ut de reliquis nunc sileam, quantum isti in literarum studia sint propensi, & ferantur, exemplum commonstrat. Quippe qui celeberrima erexit gymnasia, doctos quosque amplissimis conduxit stipendiis, infinitum propemodum alebat studiosorum numerum, nec homines beneficiis alliciebat ad studia tantum, & invitabat, sed etiam ipsemet frequentando scholas, eos ad id compellebat quodammodo, & urgebat, ut ejus aevi tam Christiani, quam Arabes referunt historiographi. Librorum, quos undique ex omnibus linguis omnis argumenti infinita auri vi comparaverat, id praemii constituerat interpretibus, ut auri tantum singulis appenderetur, quantum libri ab ipsis versi pendebant. Quod animadvertens Indus quidam elegantissimorum Apophthegmatum centuriam ex sua in Arabicam versam linguam & in marmorea insculptam tabula ei obtulit, principis liberalitatem, regium animum, ac in studia ingentem amorem

tentare his volens. At ille, postquam magna voluptate ea legisset, vel hominis admiratus solertiam, vel Apophtegmatum elegantia, & novitate raptus, vel avaritiam, ut summo principe indignam, detestans, acsi hominis captiosum donum minime deprehendisset, ex more constitutum praemium illi appendi jussit. Nihilo tamen minus nemo ferme est, qui tamquam pro certo non habeat, atque credat, Pseudoprophetam illum suis stricte literarum prohibuisse studia, & ipsos huic sui Auctoris religiose institisse semper decreto. Nam hoc nobis a natura comparatum est, ut quae semel, ut vera nostrae insederint menti, vix vel evidentissimis demonstrationibus depelli, aut deleri possint. Vulgo creditum est aliquando, Pseudoprophetae sepulchrum pendere e magnete, quis nunc tantus erit, qui ipsi contrarium dissuadere valeat vel ipsorum Mohametanorum scriptorum testimoniis, inter quos, ubi infelix illud cadaver jaceat; non constat. Chamaleontem solo aëris haustu vivere ab omnibus fere creditur, tamen eum muscis, ac aliis ejusmodi vesci insectis, certum est, ut ipsemet in Oriente millies observavi. Viperae foetus disruptis maternis lateribus prodire, graves scripsere Auctores, ac vulgo pertinaciter creditur: eam tamen aliorum serpentum more parere absque ullo vitae periculo centies, milliesque observatum est in Oriente a summo viro, & ipse apud illum hisce saepe vidi oculis. De Coralio, unionibus, & margaritis a compluribus Auctoribus haud postremae notae affirmatum est, ac literis consignatum, & vulgo tenacius creditur, eas sub aquis molles esse, ad aërem vero eductas indurescere, quod experientia falsissimum esse commonstrat. Dum igitur apud me cogitabam, de hoc argumento aliquem edere tractatum, ut fidem meam liberarem, ut qui amicis compluribus avide quaerentibus semper respondi, Mahometum nequaquam studia literarum interdixisse; in hunc incidi libellum inter conficiendum catalogum librorum Mss. Syrorum, atque Arabum Bibliothecae Eminentissimi D. Cardinalis Mazarini, quam

opera doctissimi viri, ac in dignoscendis seligendisque optimis quibusque libris hac nostra aetate nemini secundi D. Gabrielis Naudaei, ad publicam studiosorum utilitatem, & commodum immensi animi liberalitate instituit. Qui sane libellus prolixiorem mihi ademit laborem, quia quae longiori tempore a pluribus Auctoribus compilanda erant, ille exhibet solus, oportuitque tantum eum docere latine loqui, quod unius hebdomadis spatio factum est; si autem ineleganter, satis est, si intelligatur.

Porro diffitendum non est, Mahometanos Scriptores aliquos totam aliquando philosophiam damnasse, tamquam cum suae Legis principiis minime congruentem, aliquando solam Logicam, seu dialecticam, quia ex ejus fundamentis & principiis Alcorani plura evertuntur principia, & propositiones. Hinc Mahometus Algazalus senior factus, philosophiae non solum valedixit, sed etiam acerrime impugnavit inscripto opere : Destructio philosophiae. *Algazalo respondit Averroës alio opere hoc insignito titulo :* Destructio destructionis Philosophiae, *& eum a legalibus, nempe Alcorani studiosis, perversum fuisse in praefatione asserit. Nemo enim Arabum philosophorum tam ineptus est, ut Alcorani plurimas naenias non derideat, & excipiat cachinnis. Hoc unum instar omnium sit. Asserit Mahometus, terrae molem, cum in aëre suspensa, & librata esse non possit, Tauri cujusdam ad id creati cornibus impositam fuisse, ut sustentaretur, ne suo pondere deorsum labatur; Is vero aliquando onere lassus alternis vicibus cornua supponit, ex quo terraemotus oriuntur. Tauri forte hujus cornu unum regno subest Neapolitano, quod tam frequentibus quatiatur terraemotibus. Quantum autem haec, ac similia cum philosophiae congruant principiis, nemo cordatus non videt. Mirum ergo non est si quidam suae legis studiosi philosophiam damnent, saltem quoad eas partes, quae a lege dissentiunt. Nec Mahometani soli philosophiam damnarunt hoc modo, sed*

etiam

etiam priscorum patrum aliqui, praesertim peripateticam.

Jam dictis alia aliorum amicorum accessit exactio, qui non minus avide scire avent, quo in poëtica Arabes acumine, & dicendi pollent facundia. Quibus hoc etiam libello facere satis duxi, cum diversi stili multorum sit refertus Epigrammatum; quamquam nativum haec stilum, & linguae proprietatis, acumen, gratias, & lepores servare non possunt, quod hoc sit versionum ex una in aliam linguam ineluctabile fatum, & defectus, ut Ecclesiastici prologi etiam Auctor, & quotquot sunt multarum linguarum periti.

Opus praeterea eo libentius suscepimus, quod praeter utilissimas regulas ad scientias comparandas, tot est refertum virtutum omnium encomiis, ac laudibus, & contra vitiorum vituperationibus, ut nemo Christianus studiosus illud legere possit, quin maximo suffundatur pudore, & ad virtutes ardentius amplectendas, & vitia execranda non exstimuletur. Nam si Christianus, nempe legis totius perfectionis plenitudinis studiosus, audiat ea ab Ethnicis & publicanis doceri, & fieri: Discendi praeceptum omnes obstringit fideles, quia omnes ex aequo tenentur Deum cognoscere, & ea, quae ad suae artis, & professionis spectant, scire, ne peccata in civilibus contractibus, societatibus, ac aliis ejus generis committantur, quibus religionis integritas, ac sanctitas violetur: *Nonne maximo pudore perfundi debeat, si ita studiis operam navet inerte, ut quae Deo debentur, quaeque ejus professionis exigant partes, nesciat? Quid praestare ille debeat, cum hunc audit publicanum inculcantem?* Philosophus sua sorte sit contentus, ac in Deo collocet fiduciam: *si sua ipse non sit contentus, cum sit ex eorum numero, quibus dictum est:* Nolite ergo solliciti esse dicentes: quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? *De voluptatibus, quae ex studio capiuntur, quid dicendum erit, dum audient studiosi publicanum istum*

post

post quaestionis alicujus solutionem ita exclamantem: Ubinam sunt reges? ubinam principes? ubinam regum filii suis innatantes voluptatibus? longe procul absunt ab iis voluptatibus, quibus philosophiae beneficio fruimur. imo nostris illae comparatae, stercus sunt, foetor, vapor, nihil. *Quid dicam de animi moderatione, de humilitate, de honore exhibendo praeceptoribus, parentibus, ac majoribus, de vindictae contemptu, de hostibus patienter sustinendis, & virtutum potius accessione quotidiana, & cumulo superandis, quam ferro? de praeparatione ad mortem, ne eo imparati appulamus, ac demum, ut cuncta uno complectar verbo, de virtutibus omnibus? sane operibus virtutis fides si adesset, multi ab Oriente, & Occidente venirent, & recumberent cum Abraham, & Isaac, & Jacob: filii vero regni ejicerentur in tenebras exteriores. Quid pluribus? satius id ex ipso constabit textu, quam a nobis dici possit.*

Nunc ad versionem divertamus, de qua humanissimum lectorem sequentia admonitum esse volumus. Primum, quaedam Gentis superstitiosa expressimus, tum ut fidelem tibi exhibeamus versionem, tum ut videas quibus in tenebris, errorumque involucris sint involuti, qui insanas, ac falsas sequuntur doctrinas. Quid, sodes, ad bonorum, facultatumque diminutionem haec faciunt ex Legis Mahometanae praescripto: immejere nudum, nudum jacere, caeparum, & allii comburere cortices, aedes converrere noctu, ac ejusmodi, de quibus agitur capite postremo? secundum, cum studiosus jubeatur legere Alcoranum, aut faciem ad meridiem inter legendum vertere, & id genus, scias hic esse sermonem cum Mahometano studioso. Tertium, Mahometani illi suum pseudoprophetam multis decorare assolent honoris titulis, & epithetis, uti sunt, Propheta: prophetarum sigillum: Dei Apostolus: Missus in Misericordiam omnibus gentibus: mortalium optimus: Deus oret super illum: *& plura ejusmodi, quae obmisimus,*

 sa-

satiusque te admonitum duximus, quoties hoc nomen, Mahometus, *tibi occurret absque addito epitheto, illud de pseudopropheta intelligas.*

Caeterum aequi bonique quod factum est consule, optime Lector, hisque nostris lucubrationibus fruere, & fave, dum tibi alia majoris momenti meditamur. Vale.

INDEX CAPITUM.

PRAEFATIO AUCTORIS.
CAPUT I. De praecepto dicendi.
CAP. II. De intentione.
CAP. III. De electione generis Scientiae, Praeceptoris, Socii, necnon de constantia Studiosi.
CAP. IV. De honore Sapientiae, & Sapientibus deferendo.
CAP. V. De Diligentia, & assiduitate.
CAP. VI. De Lectionis auspicatione, quantitate, ac ordine.
CAP. VII. Sua sorte Philosophus sit contentus, ac in Deo ponat fiduciam.
CAP. VIII. De tempore comparandae sapientiae.
CAP. IX. De animi moderatione & in proximum caritate.
CAP. X. De progressu in studiis sapientiae faciendo.
CAP. XI. De Religione, & Pietate.
CAP. XII. De iis, quae memoriam augent, vel oblivionem inducunt.
CAP. XIII. De illis, quae bona augent, vel impediunt, ac de iis, quae vitam producunt vel corripiunt.

IN NOMINE DEI
MISERICORDIS MISERATORIS,
Cujus opem imploramus.

P R AE F A T I O.

DEo Optimo Maximo laus, qui intellectus virtute nos beatis aequavit ſpiritibus, & ſcientiae dono caeteras praecellere fecit creaturas, ut perinde immortales a mortalibus pro tantis beneficiis illi referendae ſint grates, ac laudes debitae. Nunc autem implorandum nobis eſt auxilium ejus, ut quae ad ſcientias, quae ſunt hujus intellectus objectum, ſit facilior via & methodus, facilius oſtendamus.

Cum plures itaque noſtra hac aetate viderem ſtudioſos multum in comparandis ſcientiis terere ſtudii, nihil vero proficere, aut parum, eo quod, quae ſit recta via, & eo ducens ſemita, ignorent; operae pretium me facturum exiſtimavi, ſi tritam experientia a majoribus noſtris indigitavero eis viam, ut non tam ſcientias ipſas, quam ſcientiarum ſcopum attingant, qui eſt opus tendens ad ultimum finem. Siqui-

dem, ut Mahometus ajebat; *ſcientia ſine bonis operibus eſt abominatio, & opera ſine ſcientia ſunt aberratio.* In ſtudioſorum igitur gratiam breviter materiam hanc tractare ſecundum Majorum traditiones, ac obſervatas regulas apud me ſtatui. Libellum autem hunc inſcripſi, *Semita ſapientiae*, ſive *ad ſcientias comparandas Methodus*, eumque juxta materiae exigentiam & varietatem, in tredecim diviſi capita, ut ſequitur.

CAPUT PRIMUM.

De praecepto diſcendi.

OMnes praeceptum diſcendi obſtringit fideles. Primo, quia omnes ex aequo homines Deum Opt. Max. tanquam Creatorem, & Dominum mundi hujus agnoſcere tenentur, atque adeo omnia, quae ad ipſius ſpectant cultum: ut pro creationis, conſervationis, ac hujuſmodi infinitorum beneficio, aliquam laudis & gratiarum actionis ei rependerent partem.

Secundo, unuſquiſque tenetur ea, quae ad ſuae artis, profeſſionis, conditionis, ac ſtatus officium ſpectant, dignoſcere, ne peccata in civilibus contractibus, ſocietatibus, ac aliis ejus generis committantur, quibus religionis integritas, ac ſanctitas violetur. Quamobrem rogatus aliquando Mahometus Benhaſanus, ut tractatum ederet aliquem de rebus ad religionem ejuſque cognitionem ſpectantibus, reſpondit: ſe jam edidiſſe tractatum de Jure Civili. Quaſi his verbis innuere voluiſſet, jura etiam civilia ad religionis ſpectare integritatem, cum ex illis dignoſcatur, quinam ſint liciti, quinam vero illiciti contractus; quid venditor, quidve emptor praeſtare debeat, ne humanae ſocietatis jura violentur, & foedera frangantur, atque ſic de caeteris hominum profeſſionibus arguendum eſt.

Tertio, ex ipſius rei dignitate, honeſtateque trahi, & allici quiſque debet ad ſcientiam comparandam, cujus

jus nobilitate, & praestantia multo magis gloriandum nobis est, quàm vel generis claritate, vel bonorum affluentia, vel splendore armorum, ut jampridem poëta his cecinit versibus.

Non est opibus jactandum nobis, nec claritate generis,
Sed scientia, virtutibus, morumque probitate.

Alius ita gloriabatur.

Jactent arma alii, jactent trophaea, triumphos,
Ast mihi calamus arma, libri sunt trophaea, triumphi.

Quarto, ipso etiam Jure Naturae ad scientias adipiscendas obstringimur, cum istae sint objectum intellectus humani, quo a caeteris distinguimur animantibus, illisque dominamur, cum reliqua communia habeamus cum illis. Quinimo in multis nos longe superant, & praestant, ut Leo fortitudine, olfactu Canis, Lynx visu, pernicitate Cervus, &c. Verum haec omnia, istius portionis ratione habita, Deus Opt. Max. ad primum adduxit parentem, ut singulis nomina, juxta ipsorum naturam, & proprietatem, tamquam in signum, & notam dominii inderet, imponeretque.

Quinto, ex utilitate adhuc & necessitate, magni scientia facienda est, cum nemo nesciat cordatus, eam nobis medium esse ad cognitionem boni, atque mali, eandemque praescribere nobis regulas, quae, ut a malo declinemus, ostendunt, & bonum ut sequamur, hortantur, ac praecipiunt. Scientia probis hominibus, Superbiae Humilitatem, Luxuriae Continentiam, opponendas esse demonstrat. Ipsa nihil Liberalitate summos viros decere magis clamitat, & avaritia nihil sordidius, aut turpius esse admonet: ut hanc tamquam suae dignitatis, & splendoris pestem fugiant, illam vero tamquam laudum omnium cumulum amplectantur. Ejus ultro necessitatem nobis commonstrant necessitudo rerum & eventus; siquidem in religione, aut regione quacunque ubi doctores defecerint, eo ipso & religio languit, ac fere extincta est: haeresium, atque iniquitatum succrescentibus dumetis. Summi ergo Sacer-

dotis officium eſt, homines ad literarum ſtudia capeſſenda non ſolum incitare, atque allicere beneficiis, verum compellere, atque cogere. Quamquam nemo ratione praeditus & intellectu, ad id incitari ferat, nedum cogi: cum quaedam ſcientiae partes ſe habeant ad animam rationalem, ut cibus ad corpus ſine quo ſuſtentari nequit: quaedam vero aliae inſtar ſint medicamenti, quo animi languores ſanantur, & curantur morbi. De hiſce ſigillatim edidit libellum eruditiſſimum Naſerdinus Abukaſemus, ad quem religionis pietatiſque amatorem, nunc remittimns. Ad ea fere omnia, quae hactenus a nobis ſunt dicta, ita elegantiſſimis verſibus poëta homines hortatur.

Diſce, atque perdiſce, quoniam ſcientia doctis
Ornamentum eſt, ſimulque ad cunctas ſemita laudes:
Nec vel longaevus negligas proficere ſemper,
Atque in ſcientiarum pelago continuo nata.
Tibi imprimis cordi ſint ſanctarum ſtudia Legum.
Quae juſtitiam adminiſtrant cunctis, pietatemque augent.
Hae ſunt religionis ſcientia, ſunt regula morum,
Tutumque munimentum adverſus iniquitatum impetus.
Et quidem unus juriſperitus, idemque pius
Formidabilior eſt daemoni, quam religioſi mille.

Verum non omnia, quae ſcientiae nomen prae ſe ferunt apud vulgus hominum, eo ſunt digna titulo & nomine, ac praeſertim (ut reliqua nunc omittam) Aſtrologia illa judiciaria, poſt quam multorum judicia miſere pereunt, dum aliis bona divinant, & praenunciant proſpera. Hinc plane videmus, eam probiſſimis quibuſque viris doctis, non ſolum vanam, ſed illicitam etiam, ac impiam ſemper habitam fuiſſe; nam decreta Dei nemo effugere pro certo valet, aut declinare obſervatione aſtrorum. Ex quo id frequenter in ore Mahometus habebat: *Aſtrologus eſt improbus Deo, exoſus hominibus, carus daemoni, igni reſervatus.* Saepius etiam

etiam conquerebatur dicens: *Omnium illud valde metuo, ne mei aliquando, divinis neglectis decretis, & legibus posthabitis, Astrologiae navent operam: sive ad gratiam aliquam obtinendam, sive ad imminens malum aliquod declinandum.* At nullum profecto remedium fideli magis praesentaneum est, quam preces, ac bona opera, quibus flectitur Deus Opt. Max. qui sibi supplices vacuos nunquam remittit, sed, omni dubio procul, vel imminentia mala avertit ipse, vel bona tribuit. Quare divinae credendum est Legi, nec suam fidelis collocet in astris fiduciam, ut egregie monet Alvaridius in suo poëmate.

Fidem, amice, divinae adhibeto Legi,
Nec fidas ei, qui noctu observat Saturnum.

Porro eas Astrologiae partes, quae ad astrorum vel cognitionem, vel motus, & naturales effectus inde emergentes faciunt, non solum non interdicimus, sed pernecessarias esse ducimus ad vitae humanae utilitatem, cum ab illis, ut plurimum, Agriculturae, Navigationis, ac multarum artium commoda pendeant, cum ad haec astrorum ortus & occasus, incrementi & decrementi, conjunctionum & aspectuum, observatio non parum conducat.

Mahometus Sciaphaeus scientiam ad duo reducebat genera: ad Jurisprudentiam scilicet, & Medicinam: illa, ut quae ad animam, haec ut quae ad corpus est pernecessaria, caetera vero vel his ancillari, vel spectare ad ornamentum potius censebat. Abuhanifa autem Jurisprudentiam definiebat; cognitionem eorum, quae anima (Deo) debet, & quae ipsi (Animae) debentur. Ad haec dicebat: scientia est ordinata ad opus, alioquin obest potius, quam prodest; & intellectus, ac scientiae donum scienti gravius pariet supplicium, quod tam divino sit abusus dono, & ad finem non direxerit.

Multa hic de Scientiae praestantia adferre poteramus, sed cum omnibus fere nota sint, ea missa facimus,

mus, ne longior, quam par est, noster protrahatur libellus.

CAPUT SECUNDUM.

De Intentione.

AD scientiam comparandam intentio imprimis, tamquam pernecessarium principium, & omnium operationum origo perquiritur. Nomine autem Intentionis non intelligimus hic voluntatem moventem ad opus, supervacanea enim esset quaestio haec, cum ea voluntas & motus praecedat omnem operationem: sed intelligimus tendentiam & motum ad finem, sive potius ipsam finalem causam, propter quam opus aggredimur, atque inde res aut bonae, aut malae dicuntur. Namque plura ex se optima sunt, quae intentione, seu fine pessima fiunt. Hinc Mahometus dicere solebat: *Multa prae se ferunt mundanorum operum species, intentione tamen ad beatam tendunt vitam, secus multa ad beatam vitam tendere videntur, quae mala intentione ad perditionem perducunt.* Quamobrem satagat principio discipulus Dei Opt. Max. gratiam assequi precibus, omniaque sua ad alteram vitam dirigat. Ignorantiam verò tamquam naturae pestem, ac perniciem a se prius depellere conetur, deinde ab aliis. Fidem Doctrinâ nutriat, & sustentet, hac enim maxime stat Religio, & ea cadente omnis cadit Religio, quod Barhanaddinus hoc expressit epigrammate.

Maxima ignominia est Doctor vitiis deditus,
Sed multo pejor est Religiosus ignarus,
Uterque mortalibus est perniciosissima pestis,
Quia religionem docent, quam ignorant, & contemnunt.

Gratias ad haec pro viribus Deo agere debet studiosus ob intellectus donum, corporisque firmam valetudinem. Nec scientias eo fine sibi comparandas proponat,

ponat, vel ad sui famam evulgandam, vel ad cumulandas opes, vel aucupandos apud principes viros honores, sed omnia ad gloriam dirigat Dei. His permotus Mahometus Benhasanus dicebat: *Si omnes homines mea essent mancipia, eos manumitterem, ut liberius Sapientiae studiis possem vacare, quia qui semel Sapientiae degustavit suavitatem voluptatemque, caetera mortalium illi sordescunt.* Alius Sapiens ajebat similiter: *Si quotquot sunt homines mea essent mancipia, non solum illos manumitterem, si Sapientiae ancillari vellent, verum nec eorum deessem necessitatibus, ut, quam experior ego, experiantur & ipsi voluptatem, quae ex Sapientiae capitur studio, & famulatu.* Quod pensitans apud se vir clarissimus Cavamaddinus Ansarius occinebat:

Qui ad vitam beatam comparat Scientiam,
Optimum profecto eligit Ducem:
Quomodo maxime sibi turpia quaerit,
Qui Scientia a mortalibus captat honores.

At haec omnia bona intentione temperari possunt: nam potest quis eo fine honores captare, ut auctoritate poliens Religionem adaugeat, & illustret, Veritatem, & Justitiam vindicet, ac uno verbo, si omnia ad unius Dei gloriam referat. Turpe quidem esset, ea, quae maximo assequimur labore & sudoribus, ad minima dirigere, ac in caducis, vanisque collocare honoribus, atque abjectissimis rebus nos esse contentos, pro iis, quae ipso caelo sunt digna. Quam mortalium stupiditatem his quidam poëta carpit versibus:

Mundus minimorum est minimus,
Ipsiusque amatores omnium vilissimi,
Tamen ejus Magia ita excaecantur, & surdescunt,
Ut stupescentes, quorsum tendant, nesciant.

Quare mundanarum caducarumque rerum solicitudini ne sit deditus Philosophus, nec earum aviditate teneatur, sed omnia haec, & quotquot infra Sapientiam sunt, se indigna reputet, caveatque simul ab iis omni-

 bus,

bus, quae ignominiae, aut vilitatis labem dignitati Sapientiae inferre possunt. Humilis tamen sit philosophus, sed ea Humilitate, quae non sapiat vilitatem, aut abjectionem, sed quae inter has, & superbiam, mediam teneat sedem. Hujusmodi humilitatem probum decere virum, hoc occinit epigrammate Rocnoalslamus, qui per antonomasiam, poëta, ac poëtarum selectissimus dicitur.

Probum hominem decet vera humilitas,
Qua ad superiora scandit Olympi;
At mirum est, quosdam suam ignorare sortem,
Hos miseros reputesne, an beatos?
Atque suae quomodo vitae claudunt periodos?
Sursum ne spiritus tendit, an detruditur imo?
Quid? Deo soli tribuitur suprema majestas,
Superbiam ergo declina, Deumque timeto.

Etenim nihil turpius est, quam quempiam se magnifacere, & apud alios nullius esse momenti, ubi contra nihil honestius esse potest, quam se deprimentem apud alios magno esse in pretio, unde poëta cecinit:

Nihil honestius est, quam, ut apud se humilem,
Alii ad caelum usque laudibus extollant.
Contra nil turpius est, quam se extollentem
Conjunctis votis alii deprimendum ducant.

Tamen Abuhanifa suis auditoribus dicere solebat: *Amplificate galeros vestros, fimbrias dilatate, & manicas.* Verum haec illa suadebat, ne Sapientia, ac Sapientes parvi pendantur apud hominum vulgus, quod haec vilitati adscribere solet. nec honestatis propterea, & verae humilitatis terminos transiliri istis volebat, sed tantum juxta illud poëtae consilium:

Vestimenta quantum potis es exornato tua,
Apud mortales assequeris honores,
Atque vilia abs te, rudiaque projicito procul;
Novit enim Deus, quae sub tuo pectore condis.
Quare vestimenta rudia nihil prosunt,
Dum pectus tuum fovet crimina mille,

Nec

Nec delicatiora tibi quicquam obſunt,
Dum times Deum, ejuſque mandata obſervas.

CAPUT TERTIUM.

De electione generis Scientiae, Praeceptoris, Socii, necnon de conſtantia Studioſi.

PHiloſophus ex ſingulis ſcientiaė generibus, quod melius eſt, ſeligat oportet, juxta illud poëtae conſilium:

Nemo ſcientiam complectitur totam,
Tametſi mille ſtudeat annos;
Eſt enim immenſum ſcientiarum pelagus:
Quare ex multis meliora ſelige.

Scientiae ea pars optima cenſenda eſt, quae religionem, & nobiliorem hominis portionem, nempe animam, reſpicit, ſed omnium praeſtantiſſima eſt Scientia de Deo uno, ejuſque demonſtrativa cognitione, quia ſimplex fides, quam a majoribus accepimus, quamvis vera ſit in noſtra ſententia, demonſtrativam tamen ejus ſcientiam obmittere aut negligere impium ducimus. Hanc ſequi debet illa, qua comparantur neceſſaria ad vitam humanam. Veteribus decretis inſiſtendum eſt ſtudioſo, novitatibus procul amotis, ut conſtans doctorum omnium ſententia eſt. Nam, cave, inquiunt, ne hodiernis aures praebeas novitatibus, quas nuperi excogitarunt Novatores, quae a vera ſcientia & pietate avocant, aetatem conſumunt, terunt tempus, concitant turbas, nullumque alium producunt fructum, quam inimicitias, & animarum detrimentum.

Ad Praeceptorem quod ſpectat, non tam doctior, quam religioſior ſeligendus eſt, ac pietate praeclarus, quia Scientia abſque Pietate, & Religione nihili habenda eſt, ut poëta his notavit verſibus:

Si Scientia absque Pietate praestans haberetur,
Omnium praestantissimus Cacodaemon esset habendus.

Nec id a semetipso faciat Philosophus, sed alios consulat, praesertim antiquiores, & experientia doctiores; quia ut ajebat Mahometus: *Nemo consilium petens deterior evasit, aut res ejus minus successerunt feliciter.* Quamobrem in omnibus ipse suos consulebat amicos, vel etiam de rebus domesticis. Hoc etiam, ut certissimum, in vulgus jactatur: *Homo, semi-homo, nullus homo.* Ille dicitur *homo*, qui pollet ingenio & alios consulit: *semi-homo* ille est, qui quamvis ingenio praestet, neminem consulit: *nullus homo*, qui nec ingenio est praeditus, nec consilium petit. Giaapharus autem Sadekus dicebat Saphiano Thurio: *Timentes Deum in omnibus negotiis consule, & quo difficiliora sunt negotia, altius petenda tibi sunt consilia.* Sapiens alius quidam, iis, qui ad Bocharae Academiam pergere volebant dabat consilii, ac dicebat: Cum eo perveneris, ne statim alicui te addicas praeceptori, sed per duos ad minus menses explora, atque perquire de singulorum doctrina, religione, moribus, ac probitate, ne eum, quem aliquando elegeris absque praevio examine, derelinquere cogaris, vel ob imperitiam, aut aliquid simile, & hoc cedat praeceptori illi in dedecus, tibi vero in inconstantiam, qua humana natura succumbere solet, etiam circa eas res, quas diu exoptat, ut poëta occinit:

Dum aestas adest homo hyemem exoptat,
Hyeme vero ingruente exoptat aestatem,
Suo nunquam contentus statu;
Pereat ergo, ne hoc inconstantiae desit.

Nec tibi propterea opitulabitur Deus, qui honorem praeceptoribus deferendum esse vult. Ut multum igitur in literarum proficias studiis, ita te gerito, ut nullus erga praeceptorem contemptus in te vel insit, vel ejus appareat vestigium. Scias etiam patientiam, & constantiam praecipua inter fundamenta, quae ad re-

rum

rum acquiſitionem requiruntur, ac praeſertim ſcientiae, eſſe adnumerandas, quanquam pauci, ac raro, laudata ac victrici patientia utantur, ut poëta dicit:

Omnia patientia vincuntur,
Sed pauci, ac raro, illa utuntur.

Ex quo id apophtegma ortum eſt: *Fortitudinis praeſtantia, eſt unius horae patientia:* Quamobrem ſtudiis ſemel inchoatis, nec praeceptorem deſerat ſtudioſus, nec ab una ad aliam tranſeat quaeſtionem abſque praeceptoris imperio. Quod ſi hoc facere ſtudioſus non debeat, multo minus licebit ad varias tranſuolare Academias, aut per varias vagari regiones, niſi neceſſitas exegerit, ut alibi dicemus, quia haec omnia animum diſtrahunt. Tempus quoque interim teritur, aetas labitur, laeditur fides.

Temperatus etiam ſit philoſophus, & animi coërceat motus, & concupiſcentias, quia Concupiſcentia, ut poëta dicit, eſt ipſa perditio.

Concupiſcentia eſt ipſa perditionis alea,
Qui ergo illa laborat, perditus eſt habendus.

Inconſtantia vitio haud caret, philoſophus vero omnis vitii expers ſit, oportet, & ſi virtutem expetit, ardua ſufferat, quia uti dicitur: *Virtus arduorum fulcitur columnis.*

Scientiam ſex comparari Ali Bentalebus dicebat: ſcilicet, ingenio, diligentia, patientia, maturitate, directione praeceptoris, tempore.

Studiorum ſocius diligens ſit, pius, indole accommodus, piger vero fugiendus eſt, itemque impius, loquax, & ſeditioſus: quia tales ſumus, qualis eſt ſocius, ut poëta ait.

Ne interroges de homine, ſed de ſocio perquire,
Quia ſocium quiſque ſuum facile imitatur.
Quamobrem ſi malus eſt, eum illico fuge:
Si vero bonus, illi adhaerens, bonus evades.

Et de pigro idem.

Ne familiaritate pigri utaris:
Saepe enim malus bonum corrumpit.

Nonne vides ardentem ignem
Cineris societate in cinerem verti?

Mahometus asserebat, quod omnes nascuntur fideles, sed parentes sua religione infantes imbuunt, & pervertunt. Quibus verbis indicare volebat, nos ut plurimum eorum sequi solere mores, qui nostri curam gerunt, & ut majores eos habemus, vel ipsorum utimur familiaritate. Quemadmodum scabies (alius quidam dicebat) & pestis inficiunt, ita socii suis moribus vel bonis, vel malis nos imbuunt. Vis absentem cognoscere? Quinam sint amici perquire.

CAPUT QUARTUM.

De honore Sapientiae, & Sapientibus deferendo.

QUi Sapientiam contemnit, ab illa contemnitur; nec quisquam sane eam assequi valebit, etsi magno polleat ingenio, nisi maximi ipsam fecerit, nec minorem detulerit doctis viris honorem, ac summa in veneratione praeceptorem habuerit. Dicitur enim; *nemo ad metam pervenit absque auctoritatis reverentia. Contra, nemo cecidit absque venerationis contemptu.* Veneratio obedientia praestat, & quidem ex eo id patet, quod praevaricatio divinorum praeceptorum, non in ipsis consistit rebus, sed in mandati contemptu. Quid enim intererat Deo Adamum primum hominem comedisse ex arboris fructu, nisi mandati contemptus intervenisset? Mahometus tria infortunia eventura contemnenti praeceptorem praenunciabat: *oblivionem* scilicet, *linguae tarditatem, & paupertatem extremam.* Ex veneratione doctrinae & sapientiae oritur veneratio Praeceptoris, quam optime agnoscebat Ali Bentalebus dum dicebat: *Ego sane in mancipium me libenter dederem illi, qui vel unam literulam me docebit: quare si vult. me vendat, sin vero servitutis jure retineat.* Quod etiam his cecinit versibus.

Majus

Majus debitum illud est, quod magistro debetur:
Quare oportet, ut id omnium primum solvatur,
Ac pro una literula mille sunt solvendae drachmae;
Verum hoc venerationis erit ergo, non ad solvendum debitum.

Pie sane, ac sancte enunciatum; quia si pro meritis compensandi essent magistri, nec omnes facultates nostrae satis essent solvendo. Parentibus carnalibus omnia debemus nostra, quanto magis ergo debebimus illis, qui non corpus, sed animum nostrum efformant, nosque in fide generant? Refertur ex Mahomete, Alexandrum Bicornem, cum interrogatus esset, cur majorem honorem deferret magistro, quam parenti? respondisse: *Quia parens ex caelo in terram me descendere fecit, magister vero meus ex terra in caelum me ascendere facit.* Legitur, Abuhanifam suum filium cuidam praeceptori erudiendum tradidisse, & cum ille hunc duntaxat Alcorani versiculum, *Laus Deo*, eum docuisset, quingentas misit ei statim Abuhanifa drachmas. Quod pretium cum excessivum duxisset Magister, iratus Abuhanifa ait: ergone Alcoranus penes te aliquod pro meritis habet pretium? His dictis filium statim alii tradidit praeceptori. Seniores nostri hoc in ore frequenter habebant: Qui filium suum doctum iri desiderat, doctores veneretur, & peregrinantes domo excipiat sua, eorum necessitates impleat, egentibus succurrat; quod si filio hoc non proderit, quia literarum studiis non est deditus, proderit nepotibus.

Inter ea, quae observanda nobis sunt in venerandis magistris, illud imprimis sit, ut ne ambulantes praecedere illos audeamus, nec ipsis praesentibus vel verbum, nisi nobis aut praeceptum, aut permissum fuerit, in medium proferre: tunc vero nec multum loquendum nobis est, nec immodeste. De quaestionum difficultatibus eos interrogare, citra constitutum tempus, cavendum omnino est, sed opportunum observemus. Janua domus praeceptoris nequaquam pulsanda,

sanda, sed donec egrediatur praestolandum est. Summum, ejus beneplacita in omnibus sunt aucupanda, & quaecunque ad iram illum provocare possunt penitus vitanda: ac demum in omnibus obediendum est illi, quae divina praecepta non laedunt, nec ad praevaricationem aliquam inducunt, cum nullo modo obedientia creaturis sit praestanda, quando Creator offenditur.

Secundo, honor deferendus quoque est non solum liberis praeceptoris, sed domesticis etiam, ac omnibus illis, qui cum eo aliquà necessitudine sunt conjuncti; quia honor istis exhibitus, ad illum refertur. Narrabat praeceptor noster senior Barhanaddinus, quendam insignem genere adolescentem fuisse in Academia Bocharensi, qui saepius, dum lectionem cum aliis ex ore magistri excipiebat, surgere erat solitus tamquam aliquem veneraturus, tum statim sedebat. Cum autem interrogatus aliquando, cur id faceret, cum nemo adesset salutandus? respondit: Video tunc filium magistri per januae rimas in via ludentem & assurgo illi, in ipso erga magistrum venerabundus. Phachraddinus Arsabandus suae aetatis Jurisperitorum omnium facile princeps, cum ab Imperatore maximo haberetur in honore, suis auditoribus dicere solebat: Nullam aliam ob causam tantus mihi accessit honor, nisi qnia praeceptorem meum Abajazidum Dabusiensem summopere venerabar, ac ita quidem serviebam, ut venerationis ergo nec cibos, quos illi apparabam, praelibare auderem. Holvanium Jurisprudentiae quoque peritissimum ruri degentem, (quo se contulerat ob infortunium quoddam, quod ipsi acciderat,) frequenter invisebant discipuli, uno excepto Abu-bacro Zarnagerio juvene clarissimo. Huic, cum primum occurrisset in urbem, reversus Praeceptor Holvanius ait: cur non invisisti me aliquando cum aliis? Quia servitio materno dententus eram, respondit. Bene inquit illi senior, longaevam propterea duces vitam; at in studiis parum

parum proficies. His innuere volebat, quod quemadmodum honor parentibus collatus vitam producit filiorum, ita honor exhibitus magiſtris prodeſt ad progreſſum in ſtudiis literarum. Res mirabilis dictu! ſiquidem Zangerius quamquam acerrimo eſſet ingenio, multumque ſtudii collocaret, parum profecit. Sed quod magis admiratione dignum eſt, neſcio quo & ille fato, totam fere vitam ruri tranſegit a paucis viſitatus. Legitur etiam, quod Aaron Raſidus Imperatorum Moſcomanorum potentiſſimus, cum filium ſuum, quem tradiderat Aſmago, ut illum ſcientiis, & moribus inſtitueret, vidiſſet aliquando aquam infundentem ambabus manibus praeceptori pedes ſuos lavanti, indignatus praeceptori ait: Hunc tibi inſtituendum, atque optimis quibuſque moribus erudiendum tradidi, cur ergo non praecipis illi, ut una manu infundat aquam, alia vero tibi lavet pedes?

Ad venerationem ſcientiae attinet quoque veneratio librorum. Oportet igitur, ut ſtudioſus magna veneratione, & reverentia libros contrectet, & hoc nonniſi purus, munduſque. Holvanium ſaepe dixiſſe fertur: Scientiam ſum adeptus librorum veneratione, nam nec ipſam papyrum albam niſi lotus ac mundus contrectavi. Idem legitur de doctiſſimo Sarchaſio, qui ſeptemdecim vicibus una nocte ſe lavit, ſcilicet toties quoties alvum purgabat, & redibat ad libros, nam profluvio ventris tunc laborabat; quia ſcientia eſt lumen, & mundities eſt lumen, unde lotione & munditie incrementum fit luminis. Pedes ad libros, caveat, ne extendat ſtudioſus, & codicem interpretationum caeteris ſuperimponat libris, at praeter hunc nihil aliud. Retulit nobis Barhanaddinus noſter praeceptor, quod cum quidam doctor atramentarium libro ſuperimpoſuiſſet, alius id indigne ferens lingua Perſica ait illi: *Barnajabi*, id eſt, fructum amiſiſti. Tametſi Phachraddinus Juriſconſultorum ſuae aetatis periti ſſimus haec omnia, niſi accederet contemptus, parvipendebat,

bat, quamquam aliorum perplurium calculo melius esset ab his abstinere, quia a minimis ad maxima gradum facere solemus.

Ad idem argumentum elegans librorum descriptio attinet, nam distinctis literis & versibus sunt libri describendi, nec ita urgendi sunt versus, ut alius alium premat, nec minutioribus characteribus, ut difficile discernantur. Margo, nisi magna urgente necessitate, praetermittenda non est. Videns aliquando Abuhanifa quendam inter describendum minutissimis characteribus quasi confundentem versus, ait illi: *Si vixeris, te poenitebit, si mortuus vero fueris maledictionibus afficieris.* Quasi dicere voluisset: si senueris, & oculorum defecerit visus, aegre feres, quod tam presse, & minute descripsisti libros; quum vero mortuus fueris, legentes te maledictionibus lacessebunt. Item Magedaddinus Sarchachius dixisse fertur: *Si male exscripserimus libros nos poenitebit: si non bene selegerimus libros, nos poenitebit: si descriptos libros ad exemplaria non contulerimus, nos poenitebit.* Librorum formam quadratam Abuhanifa volebat, quod haec omnium tam portatu, quam situ, & contrectatu magis sit accommoda.

Socii, & condiscipuli, ac omnes, ex quorum conversatione in scientiis proficere possumus, non tam verbis, quam operibus sunt nobis honorandi. Omnis adulatio turpis est, ac studioso, ut pestis fugienda, si eam excipias, quae defertur Magistris, atque iis omnibus, ex quorum familiaritate in scientia proficimus.

Lectio non sine magna attentione mentis, ac veneratione discipulo est audienda, etsi millies quaestio illa fuisset repetita, juxta illud scholarum axioma: *Scientia nequaquam dignus est ille, cui millies repetita ut semel dicta non placent.*

Quaestionem ne sibi seligat studiosus, sed magistro id deferat, nam is experientia doctus melius novit,

quid

quid magis tyronibus juxta ſingulorum naturam, & captum expediat. Hunc aliquorum ſtudioſorum abuſum carpens Barhanaddinus dicebat: *Olim ſtudioſi totum diſcendi negotium praeceptoribus deferebant, atque adeo optatum conſequebantur finem, & propoſitum: nunc vero ideo non proficiunt ſtudioſi, quia unuſquiſque ſibi, quod lubet, ſeligit.* Idem referebat, quod Mahometus Bocharenſis poſtquam Mahometo Benhaſano librum de oratione explicandum eſſet aggreſſus, dixerit illi: *Vade, & operam da ſtudio eloquentiae & narrationum*? Conjecerat enim optime vir doctiſſimus, quod ejus genio, & propenſioni magis id ſtudiorum genus conveniebat, ut eventus ipſe comprobavit, quia hujus profeſſionis omnium princeps evaſit Benhaſanus.

Oportet etiam, ut magiſtro non aſſideat ita ſtudioſus, ut illum premat, dum lectionem habet ad diſcipulos, niſi maxima cogar neceſſitas, ſed longitudine arcus ab illo ſaltem diſtet in venerationis ſignum.

Mali mores ut peſtis ſtudioſo ſunt fugiendi, quia iſti non ſolum obſunt ſcientiae, ſed eam penitus interimunt, ac divino auxilio obicem opponunt. Mores autem hujuſmodi quinam ſint, ex libello de moribus plane apparet, ad quem lectorem remittimus, quod eos huc referre ratio noſtri inſtituti non patitur. Superbiam prae caeteris vitiis ſtudioſe fugito, quia ſapientiae cum ſuperbia nullum eſt commercium, ex quo illud emanavit dictum: *Sapientia ſe habet ad ſuperbos, ut aqua ad altiora loca.* Nam quemadmodum repugnat naturae aquae ſurſum aſcendere, ita repugnat ſapientiae ſuperbia. Contra, quemadmodum quo humiliora, depreſſioraque ſunt loca, eo velocius aqua confluit, ita ſapientia in humilium influit mentes.

A ſummis principibus docti viri ſunt prae caeteris honorandi, quia ſuo calamo ipſorum nomen immortalitati conſecrare poſſunt, quoties illis ſe offeret occa-

ſio; vel eo nomine ne laceſſiti contemptu illorum famam ſcriptis dilacerent. Hinc poëta quidam ait:

Sapientum venenata eſt caro, lethalia verba,
Praeſto ideoque eorum hoſtibus exitium adeſt,
Ubi fautoribus non ſolum theriaca ſunt contra morſus,
Sed eorum vitam, memoriamque ab interitu vindicant.

CAPUT QUINTUM.

De diligentia, & aſſiduitate.

Diligentia, & aſſiduitas ad ſapientiam comparandam maxime requiruntur, quod & Alcoranus innuit, dum dicit: *Diligentes ad noſtras dirigimus ſemitas.* Celebre quoque illud eſt: *Qui quaerit invenit, & importune pulſans januam intrat.* Et illud aliud: *ſecundum labores vota aſſequeris tua.* Quod etiam hoc epigrammate elegantiſſime, atque appoſite expreſſit poëta:

Mare transfretat, qui avide venatur opes,
Noctuque vigilat, qui aſtrorum obſervat curſus,
Ac tu ſupine dormiens appetis honores?
Nonne advertis, quod ſomniis te decipis ipſum:

Nec laborum gravitatem praemeditetur ſtudioſus, nec pericula inde emergentia valetudinis, aut aliquid ſimile anxius penſitet: quia, ut dicit poëta,

Gloriam nequaquam ille aſſequetur,
Qui praemeditatur pericula ſemper,
Sicut, nec qui ſine laboribus venatur honores,
Quia dum haec meditatur, labitur aetas.

Tria in hoc argumenti genere potiſſimum requiruntur: ſcilicet ſtudioſi diligentia, praeceptoris ſingularis cura, parentis, ſi adhuc in vivis eſt, ſolicitudo: ſed omnium horum fundamentum, ac baſis eſt ſtudioſi diligentia de qua ita poëta:

Diligen-

Diligentia ad diſtantia quaeque facile pervenitur,
Diligentia omnis janua ac ſera reſeratur.

Nam abſque iſta omnis cura magiſtri inaniter impenditur, fruſtra parentis urget ſolicitudo. Melius quidem eſſet id hominum genus nullam dare operam ſtudiis, quam incuriae, & ſtupiditatis argui, imo ſtultitiae, ut poëta quidam hoc diſticho eos notat:

Doctum evadere in votis habes abſque labore?
At hoc ſane ſtultitiae unum ex millibus genus.

Abutabibus hoc idem genus hominum proſequebatur dum dicebat: *Nullus inter mortalium defectus turpior mihi eſſe videtur eorum defectu, qui virtutem, quam diligentia, & laboribus aſſequi poſſunt, non aſſequuntur tamen.* Poëta vero hanc perſcribit regulam philoſopho:

Qui ſapientiam expetis, religioni eſto addictus,
Somnum excute, ſatietatem devita.
Studiis incumbe, nec intermittito moras,
Quia ſtudio jugi comparatur ſapientia.

Tempus ad ſtudium opportunius, & magis accommodum, eſt prima, ac poſtrema nox, quia haec benedictionibus eſt refertiſſima, ac ſtudioſis fauſta, quamobrem dicebat poëta:

Juxta labores comparantur honores,
Qui ergo ſapientiam expetit, vigilet noctes.

Vulgatiſſimum quoque illud in ſcholis eſt: *Mane laetatur, qui vigilat noctu.*

Porro haec omnia ſtudioſus prudentia, virtutum omnium regula, temperet, nec excedat modum, ut vel morbum contrahat aliquem gravem, vel taedio ſuccumbat: ſed media incedat via, quia mediocritas in rebus eſt virtutis ſedes. Ex quo Mahometus dicere ſolebat: *In divino cultu vires ne deprimas, aut exhaurias, ne inde propterea taedium, & odium divinarum rerum ſubnaſcatur.*

Diligentiam hanc, & modum in ſtudiis tenendum alis avium compararunt nonnulli; quemadmodum enim

alis avis volat, & lassa residet, & cantillat, ita studiosus diligentia tamquam alis ad sapientiam volet, sed animum defatigatum volatu alio conferat quandoque, & honesto aliquo exercitio refocillet. Praeterea ut volatu altissima superat avis, ita studiosus altiores sapientiae quaestiones studio & diligentia superare nitatur, nec difficultatum contemplatione, & metu succumbat, sed ardua quaeque magno aggrediatur animo. Turpissimum quippe est magnanimum ad infima animum demittere, generosum ad vilia, ut Abuttibus his notat versibus:

Fortia magnanimus aggreditur semper,
Liberalis digna se meditatur dona.
Quemadmodum parva quaeque abjecto magna videntur,
Ita magnanimus omnia parva ducit.

Scilicet, ut interpretatur doctissimus Rocnaddinus, res parvae & nullius momenti, aut pretii, homini nullius animi, maximae ac ingentibus involutae difficultatibus, & laboribus videntur: Contra generosus maxima quaeque, sub animi sui decretis, votisque existimat, & habet. Itaque rerum vel magnitudo, vel parvitas ex animo pendet nostro, hacque de causa, quae maxima nobis parvulis videbantur, adultis parva, atque omnino alia apparent, & quae difficillima tyronibus, proficientibus, ac perfectis facillima. Fundamentum igitur praecipuum ad scientias comparandas est studium sive diligentia assiduitati conjuncta, agente, pungenteque honoris ac magnanimitatis stimulo. Nam qui totis viribus in scientias nititur, honoris pungente stimulo, si ad fastigium non pervenit, medium ut minus conficiet iter: qui vero haec non conjungit, aut parum proficit, aut nihil. Altiora itaque ac nobiliora magnanimus, & generosus sibi semper proponat. In libro *de Optimis Seligendis*, perscribit Radajaddinus Nisaburensis, Alexandrum Bicornem Philosophis consulentibus & suadentibus, ut expedi-

peditionem in universum terrarum Orbem pararet, dixisse: *Non est sublimioris mentis principis de tam parvo, brevique imperio solicitum esse.* Verum respondentibus illis: *Terrenum hoc imperium nihil aliud esse, quam typum caelestis, & iter ad illud*; sine mora copias movit, rei motus celsitudine, & dignitate. Mahometi quoque hoc semper versabatur in ore apophtegma: *Sublimia Deus amat, execratur abjecta.* Ignis elementorum purissimus, & nobilissimus sursum semper tendit, sordida purgat, extendit curva. Hunc nobilissima ingenia imitari satagant, in altiora quaeque nitantur, vitiorum expurgent sordes, & studiorum ardore absumant, malos habitus ac tortuosos calore dirigant. *Rudis es*, inquit Abuhanifa, *assiduitate, & studio ruditatem exues.* Contra vero ab otio, & pigritia tamquam ab omnium vitiorum scaturigine amplissima cave, & longissime te recipito. Dum apud se pensitabat Abunasrus Sagarius quanta ex comparandarum scientiarum studio utilitas affluit, quantaque ex otio, & pigritia redundat vitiorum illuvies, ita animam suam ad operandum hortabatur, & ab otio revocabat his versibus:

Anima mea, anima mea, ab operando ne cesses,
In justitia, beneficentia, & aequitate.
Felix namque est, qui assidue bene operatur,
Infelicissimus vero, qui semper otio tabescit.

Et Ali Bentalebus ita sibi decantabat.

Anima mea pigritiam, otium, procul repellito:
Alioquin in hoc tuo semper sordescito contemptu,
Nam aliam ego sortem cessatori conspicio nullam,
Quam poenitentiam, pudorem, malorumque cumulum.

Unde egregie sane alius dixit:

Quot pudores! quot improperia! quotque moerores
Unum generat homini improbum otium.

Otium saepe ex eo nascitur, quod sapientiae praestantiam, atque excellentiam non bene dignoscimus, nec, quan-

quantum oportet, contemplamur. Frequentius ergo, ac magna attentione perpendat apud se philosophus hujus & merita & dignitatem ad eam praesertim immortalitatem, quam sui studiosis tribuit, eorum nomina, & famam consecrans aeternitati, & in mortalium immortalibus animis imprimens. Quis tam vecors ergo erit, qui tantam divitiarum copiam, ipsamque immortalitatem tam exili, vilique pretio sibi comparare non sataget? Utrumque hominum genus describit Barhanaddinus hoc disticho:

Ipsam ante mortem sunt mortui insipientes,
Sapientes vero mortem post ipsam beatius vivunt.

Simili epigrammate horum deploravit sortem ante Barhanaddinum Nasairaddinus Tusanus:

Ignorantia suis est mors ante mortem,
Eorum corpora simul sunt & sepulchrum, & sepulta,
Sunt enim animabus potius carcer, ac infernus:
Quare inde liberatae beatius vivent.

Elegantissime sane idem prosequitur argumentum mox relatus Barhanaddinus his versibus:

Sapientia abjectum quemque extollit,
Et sine illa, vel elatus censendus est abjectus.
Sapientis immortalis crebrescit gloria semper,
Insipientis vero fama cum illo terra tegetur.
Sapientia est lumen, quo vident vel lumine capti,
Insipientia caecitas, qua excaecantur vel ipsi videntes.
Sapientiae ergo quisquis potitus est opibus,
Omnes jam sibi eomparavit thesauros.
Caducis voluptatibus si non est fruitus sapiens,
Eo sit contentus, quod meliora multo sibi comparavit.

Itaque sapientiae fruitione, suavitateque sit contentus philosophus, cum ea voluptas tantum mundanas excellat, quantum immortalis animus mortale corpus. Hinc Abujosephus, quum objiceretur ei summa paupertas, qua laborabat dum studiis literarum navabat operam, lepide cecinit:

Cum

Cum placentam comedero, & bibero aquam fluentis,
Ego ſum Imperator, ſed non ille, qui ſedet in altis.

Pigritiam, & hebetudinem, unde oritur oblivio, ex phlegmatis, & humiditatum abundantia gigni unanimiter ſeptuaginta prophetae aſſeruere. Phlegma vero ex potus provenit copia; copia autem potus ex copia ciborum; igitur ſubtractione unius aliud ſubtrahitur. Eos autem inter cibos qui phlegma diminuunt, imprimis recenſentur panis toſtus, & uva paſſa: at non ea quantitate, quae ad potum incitet aquae, ex qua potiſſimum phegmatis concreſcit materia. Dentium ſcalptus, & a ſordibus abſterſio, phlegma diminuere, memoriam augere, & eloquentiam conciliare exiſtimantur, ex quo ſcalptus hujuſmodi inter Legis ritus ante orationem, & lectionem Alcorani praeſcribitur. Vomitus etiam phlegmata, & humiditates evacuat, itemque frugalitas, ex qua non mediocria proveniunt commoda, ut ſanitas, continentia, memoria, proximi profectus, ac ejuſmodi perplura: ubi ex gula praeter morbos ac infinita incommoda corporis, animus etiam hebetatur; unde ſapientes maxime dedecere delicatiorum ciborum copiam, & apparatus, hoc diſticho exclamat poëta:

Ignominia, tum ignominia, tum ignominia eſt,
Cum Sapiens collocat operam in cibis apparandis.

Interrogatus aliquando Abujoſephus, quomodo ſtudioſo ſit vivendum? reſpondit, ut vivo ego. Et interrogatus quomodo viveret ille?

Fruſto placentae depello famem.
Hauſtu aquae extinguo ſitim.
Rudique veſte vivens contego corpus,
Quae & mihi mortuo involucrum erit.

Mahometus dicere ſolebat: Tria hominum genera Deus odio habet aliunde expertes criminis: nempe, *voracem, avarum*, & *ſuperbum.*

Studioſo infinita ad haec conſideranda ſunt incommoda, ac nocumenta, quae ex gula, & voracitate ſuboriuntur: uti naturae conſternatio, hebetudo me-

 moriae,

moriae, & mentis, ac ejuſmodi alia perplura. Ex quo hoc enatum eſt apophtegma: *Venter ciborum copia mentis opprimit copiam.* Galenum dixiſſe ferunt: *Malogranata omnia ſunt ſana, piſces omnes nocumentis obnoxii.* At certum eſt, modicam piſcium quantitatem minus nocere, quam malogranatorum copiam, quia omnis repletio eſt mala. Voracitate ſubſtantiae non infrequenter dilapidantur, ex quo paupertas, & mala quamplurima exoriuntur, quia ſemel dives in paupertatem redactus divitias ut plurimum oſtentare adhuc ſtudet, quod ſupplere minime poterit, niſi vel latrociniis, vel contractibus illicitis, aut aliis hujuſmodi fraudibus, quae probum hominem nequaquam decent. Voracitas praeterquam quod multorum malorum eſt cauſa, ut dictum eſt, ad alterius quoque vitae aeterna ſupplicia viam ſternit. Et quidem, ventri plus aequo deditus, omnibus exoſus eſſe ſolet, quia ad deſtructionem tendit.

Frugalitatis haec tibi regula eſto. Principio ſuaviores, delicatioreſque comedito cibos hos vero craſſiores ſequantur. At caveas, ne cum famelico edas, niſi vel & ipſe famelicus ſis, aut jejunaturus, aut iter facturus, ut aliquem ſubiturus laborem, ut ſuſtinere poſſis horum pondus. Nam praeterquam quod famelici edacitas nos incitat, & urbanitas obſtringit ad ſuperfluum eſum, tu quoque illi moleſtus eris, cum ſatur famelico non credat, nec famelicus ſaturi ſuſtineat moras: ſed omnis ſolicitudo, ac celeritas lenta illi videtur, adeoque horum par non eſt ſocietas, ut elegantiſſime his verſibus poëta demonſtrat:

Qui holoſerico fruitur lecto,
Variis coloribus mire diſtincto,
Elegantiſque puellae amplexibus gaudet,
Milleque modis exhaurit voluptates:
Omnes exiſtimat eadem ſorte beatos,
Nec eorum votis fortunam defuiſſe putat.

Simi-

Similiter satur famelico non credit,
Propterea lente parat illi mensam.

CAPUT SEXTUM.

De Lectionis auspicatione, quantitate, ac ordine.

CLarissimus vir Barhanaddinus, meus olim praeceptor, auspicandam esse lectionem volebat die Mercurii, Mahometi innixus auctoritati, qui id, ut ferunt, protulit nunciatum: *Nihil inchoatum est die Mercurii, quin suam acceperit absolutionem & perfectionem.* Eandem Abuhanifa ante illum terebat viam, & regulam servabat, quam ab Ahmeto Benrasido ejus praeceptore se accepisse testatur. Rei rationem reddit Joseph Hamdanensis, quia scilicet eo die lumen creatum est; ideoque ajebat, omnia bona opera ea die auspicanda sunt, quod infidelibus sit inauspicata, contra fidelibus.

De Lectionis autem quantitate ex Hamro Zarengerio refert Abuhanifa, priscos doctores hanc tradidisse regulam, & methodum, ut initio tyronis capacitati ea praescribatur lectio, quam bis repetendo memoriae commendare possit, addito deinde singulis sequentibus diebus unico verbo: ita enim fit, ut paucitate, & gradatione illa minime percipiatur multiplicatio lectionis absque ulla memoriae defatigatione, & rerum tenacius imprimuntur species, nec tyrones succumbunt. Contra si ea lectio initio tyroni praescribatur, quam nonnisi decies repetendo memoriae commendare valet, ejusmodi contrahet habitum tenella & adhuc rasa memoria, ut etiam vel brevem orationem nonnisi decies repetendo assequatur, indutumque habitum aut minime, aut difficillime exuere, & a se excutere poterit. Ex quo illud ut verissimum axioma jactatur in scholis: *Verbum sit lectio, millies repetitio.* Item: *Unum praestat bis repetitum ediscere verbum, quam millia millies repetita.*

Id porro ordinis obſervandum eſt initio, ut a facilioribus exordium ſumatur. Faciliora autem, ut ex veteribus obſervavit Sciarphaddinus Hokailus, ſunt ſimpliciora: ut quae ad captum magis accedunt, minuſque generant taedii, quo tyrones, ut plurimum ſuccumbere ſolent. Oportet etiam, ut ſtudioſus ſaepius, quam memoriae commendavit, lectionem deſcribat, quia hoc maximae eſt utilitatis. Advertat oppido tamen, ne quicquam deſcribat, antequam ejus ſenſum percipiat: id namque naturam relaxat, mentis obtundit aciem, incuriae arguit ſtudioſum, ac demum tempus omnium pretioſiſſimum terit.

Conſulendus praeceptor eſt in occurrentibus difficultatibus, at rem prius mature apud ſe praemeditetur ſtudioſus, atque accurate repetat, ne indiligentiae apud magiſtrum arguatur. Pauca potius intelligere curet, quam plura audire, aut memoriae tradere juxta axioma illud ſcholarum: *Praeſtat vel duas intelligere literas, quam mille audire, aut recitare librorum ſarcinas.* Si bis, aut ſemel, ſtudioſus negligit lectionis ſenſum, talem profecto induet habitum, ut vel facillima difficulter tum intelligat; quamobrem omnis negligentiae umbram, ac veſtigium a ſe protelet, divinamque jugiter imploret opem: ſuos enim Deus ſupplices, atque in ſe ſperantes inexoratos nunquam remittit. Hactenus dictis non diſſimilia quodam ſuo epigrammate ſuadet ſtudioſo Hamadius Segarius:

Sapientiae ita ſervias, ut profectum inde ſentias,
Ejuſque famulatui ſedulo te addicito ſemper,
Et quod ſemel didiciſti, iterum, iterumque memento,
Tum deſcribe, tum repete, iterumque recole,
Donec ſtabilem fixerit in memoria ſedem;
Tunc ad alia te recipito, & quaere incrementum.

Diſputatio, collatio, & enucleatio dubiorum philoſopho perneceſſariae ſunt, verum inter diſputandum modeſtiae ne tranſiliat terminos: ſed ſua argumenta, vel reſponſa tranquillitate animi temperet, & aequitatis

tis

tis lance ponderet. Contentiones, & iracundiam imprimis fugiat philosophus, atque disputationem, & collationem nihil aliud esse sciat, quam consultationem: Consultatio autem est indagatio veritatis, quam sedato animo, matura consideratione, atque aequitate duce assequimur, non quidem iracundia & contentiosis vociferationibus, quas execratur Veritas. Si vero eo tendat disputantis animus, ut adversarium solum illaqueet, & opprimat fallaciis, & sophismatis; dicimus, id nequaquam licere, imo esse contra disputandi canonem, qui eliciendae veritatis gratia duntaxat institutus est. Nec unquam hujusmodi captiosis argumentis uti debemus, nisi quum adversarius nos fallaciis impetit, nec ejus argumenta eo tendunt, ut veritas eliciatur, sed ad fallendum nos tantum. Nec studiosum etiam pudeat, suam aliquando imbecillitatem potius fateri, aut non praesentem animum, quam falsa falsis defendere argumentis. Mahometus Benjahia, facile suae aetatis omnium doctissimus, quoties congruum illi responsum non suppetebat, ingenue dicere solebat: *Nunc mihi nullum praesto est certum responsum, quare maturius re considerata respondebo.* Nullus enim ita doctus est, quin alius doctior esse possit, nec tantum quisquam sibi tribuat, ut existimet, se ex tempore quaestiones quascunque solvere posse.

Utilitas, quae ex collationibus, & disputationibus capitur multo uberior est, quam illa, quae ex simplici repetitione provenit, quia disputatio praeterquam quod est repetitio, ac plusquam, intellectum adhuc excitat, & acuit, unde illud celebratur: *Disputatio unius horae praestat repetitione unius mensis.* Verum collocatio hujusmodi, ac disputatio cum aequitatis amatore ineunda est, & bonae indolis, ut mox dictum est, quia contentiosus, & contumax animos conturbat potius, ac omnia susque deque miscet clamoribus, & turbis, atque plus damni infert, quam utilitatis. Quare, cum se obtulerit occasio, sapientior suo ingenio, mitiorique indole,

indole, quaestionis fervorem & iratos animos temperare conetur, atque irarum impetus cedendo quandoque infringat ad patientiae, & mansuetudinis scopulos, ut hinc, quantum in sapientia profecerit, ostendat; at ea conditione ut minime data opera ostentator existimetur, sed ut ait Chalilus Benahmetus, poëta clarissimus:

Ea est sapientiae conditio, ut sibi obsequentes,
Tales efficiat, ut serviendo aliis domınentur.

Oportet etiam, ut philosophus antequam ad collationem, & disputationem accedat, singulas quaestionis partes enucleet, atque attente exquirat, & meditetur rationes; dicitur enim: *Meditare, comprehendes.* Itaque pernecessaria est praevia illa meditatio quaestionis disputandae, ne quid temere a nobis in publicum proferatur, & ut scopus attingatur. Verba enim sagittae assimilantur a sapientibus; sagitta vero antequam emittatur, ad certum dirigitur scopum, non utcunque autem, sed attentione quadam collimatur & collineatur, ut eo, quo mittitur, pertingat. Mox citatus Chalilus, in libro de principiis Jurisprudentiae, hanc praeviam meditationem, non solum ut necessariam ad graviores quaestiones requirit, sed etiam ad orationem quamcunque, antequam in publicum proferatur. *Potior sanae mentis*, inquit, *nota est, ut verba mature praemeditata, & comprobata rationibus, in medium proferantur.* Poëta autem quinque hoc disticho ad id requirit:

Quinque sunt observanda, antequam verba sint proferenda,
Causa, tempus, qualitas, quantitas, locus.

Apis imitanda est Amatori sapientiae, atque indagatori: quae ex omnibus florum generibus etiam amaris & veneno infectis salubre mel ac dulce legit; ita ille ab omnibus, quod utile & bonum, sibi recondat: quod vero malum, & noxium, tamquam ad se non spectans pertranseat. Sapientia fidelis hominis est haereditas,

ditas (Mahometus dicebat) ubicunque ergo eam comperiet, ſumat ut ſuam, caetera ut aliena ſuas relinquat. Refert Phachraddinus Caſſanenſis, quod Ahmetus quidam, cum emiſſet ancillam, quae fuerat quondam Abujoſephi Juriſconſulti celeberrimi, eam interrogavit, num aliquid a Domino didiciſſet? reſpondit illa, non, ſed audiebam eum ſaepe haec repetentem verba: *Portio circuli eſt cadens.* Quod audiens Ahmetus ille, dubium, quod menti dudum inerat, excuſſit, & quae eum diu torſerat difficultas, evanuit, didicitque, ab omnibus, vel mancipiis, ac ancillis utilitatem capi poſſe. Eam ob cauſam interrogatus aliquando pater meus, quibus ſapientiam comparaſſet mediis? reſpondit: *Ab omnibus, quae utiliora ſunt avide decerpſi, & omnibus utiliora quaeque libenter elargitus ſum.* Interrogatus de hac eadem re etiam Abnohabbaſus ait: *Sapientiam hanc comparavi lingua indagante, & corde intelligente.* Egregium ſane dictum, & ſupremae aetatis philoſopho dignum, ea enim aetate indagatores ſapientiae, & non ſapientes doctiſſimi viri vocari volebant. Sapientiae igitur indagator, & philoſophus vel ab improbiſſimis quae bona ſunt ediſcere non dedignetur, ut improbiſſimus quidam ait poëta:

Quae doceo, non quae operor, attendito:
Proderit tibi ſcientia mea, crimina non obſunt.
Frugiferas arbores refero doctor:
Fructum carpe, lignum projicito in ignem.

Quamquam turpiſſimum ducendum ſit, ut id, quod aliis inculcamus, atque ſuademus ut optimum, ipſi opere non compleamus: prius enim facere, tum docere oportet. Quod & poëta elegantiſſimis verſibus docet:

Tu qui alios optima doces,
Num & te inſtruis ipſum?
Aegrotiſne medicamina praeſcribis,
Ut ſanentur, tu vero pejus aegrotas?
Te ſanare infelix incipe prius,

At

Ac tunc ſapiens medicus eris:
Tumque aliis doctrina proderit tua,
Proderunt conciones, proderunt verba.
Turpe enim eſt alios ad virtutes urgere,
Cum ad eaſdem ipſe ſis urgendus.

Alius de hujuſmodi hominum genere ita dicit:

Qui alios docet, quae ipſe non obſervat,
Similis eſt Gallinae, quae habet alas, & non volat.

Ad propoſitum argumentum nunc redeamus. Abuhanifa, ubi ſodes, & a quibuſnam tantam rerum notitiam, peritiamque legum ſibi comparavit? In ſua profecto officina, ubi olera ac ſemina vendebat. Ejus quippe ad officinam libentiſſime Juriſconſulti confluebant, hominis allecti humanitate, comitate, ac liberalitate. Principio diſputationes, audiendi motus curioſitate, doctos viros ad ſuam officinam invitabat: ab auditu poſtea ad intellectum gradum fecere quaeſtiones, coepitque difficultates dignoſcere, ſenſum quaeſtionum intelligere, dubia quaedam, & argumenta proponere, ac demum recepto animo rem ex profeſſo aggreſſus eſt, eoque pervenit, ut Juriſconſultorum omnium communi voto, in hac profeſſione ſummus vir ſit habitus. Ex quo planum fit, paupertatem, ac humana negotia non ita repugnare ſapientiae acquiſitioni, ut philoſophum omnino ab ea avocare poſſint, ubi diligentia adeſt & ſtudium. Abuhaphedus Major, lucro interdiu operam locabat, & familiae victui, noctu vero ſcientiarum ſtudio. Itaque homo ſanae mentis & corporis, etſi familiae ſublevandis neceſſitatibus teneatur, culpae minime expers erit, ſi temporis aliquid ſtudio ſapientiae non ſeponat. Nullus profecto ab hominum memoria tanta extrema laboravit paupertate, quanta Abujoſephus, tamen haec a ſtudio literarum eum nec terrere, nec diſtrahere potuit; ſed ea invita tantum profecit, ut ſuae aetatis omnium ſapientiſſimus ſit habitus. Quinimo, ſua inopia feſtive gloriabatur, ac elegantiſſimis eam commendabat verſibus:

Cum

Cum generosos equitant reges equos,
Regiaque explicantur protinus vexilla,
Constipantibus undique aulicis, ac servis,
Miranturque cuncti diademata regum,
Equito ego arundinem meam, induo pallium,
Liberiusque quam illi, quo lubet procedo:
Nec importunus exactor a me exiget tributum
Nec exedra rationum, mea numerando errabit.

Divitias porro licite partas non propterea condemnamus, nec eas probum aut sapientem dedecere virum asserimus, imo ad sapientiae comparationem plurimum conducunt. Quare interrogatus aliquando vir quidam sapientissimus, qua ratione tantam sibi sapientiam, & rerum variam cognitionem comparasset? respondit: *A patre opulento, qui suis opibus doctos quosque ad me instituendum conducebat.* Imo bene partae divinae gratiae certissimum sunt indicium, secus male partae: unde ita lepide poëta ad quendam rapacem, qui templum ex raptu extruebat:

Ex male partis audio te exstruere templum,
Hisne forte putas justas Dei placare iras?
Instar es meretricis, quae ex infami pretio largitur
Pauperibus, unde proverbio fecit illa locum,
Cum dictum esset ipsi a Dei sacerdotibus:
Euge infelix, nec forniceris, nec largiaris.

Spem tamen suam nemo collocet in divitiis quibuscunque, sed omnia sua Deo gratiarum omnium fonti accepta referat, & in ea, quae sunt ad ejus gloriam, laudemque impendat. Minus suo ingenio quis fidere debeat, praesertim in iis, quae ad divinam spectant legem, quia haec humanum superare solent captum. Suis propterea auditoribus Abuhanifa inculcare solebat, ut perpetuas ad sapientiae Auctorem porrigerent preces, quia ille solus humanos intellectus illustrare valet. Quippe qui Deum rectorem sibi deprecantur, mandatorumque jugum submisse ferunt, & ejus credunt Legi, a recto tramite minime deviant. Secus vero qui suo fi-

dunt ingenio, ejusque viribus se omnia consequi posse sibi promittunt. Verum sciant isti, quod quemadmodum visus omnia videre non potest, ita nec intellectus omnia capit, aut percipit. Divinae ergo Legi parendum est, etsi nostrum superet captum. Hac de re Mahometus dicebat: *Intelligens est ille, qui suo incumbit muneri, munus vero intelligentis est, ut ante omnia se, suamque agnoscat impotentiam; qui autem semetipsum agnoscit, dominum agnoscit suum, & qui suam agnoscit impotentiam, Dei Opt. Max. potentiam agnoscit, atque ita suam confidentiam nequaquam in suo ingenio collocabit, sed in Deo, a quo omnem veritatem, & sapientiam petendam esse cognoscet.* Idcirco a Deo fideles veritatem semper sunt deprecati, & ille per rectam religionis semitam eos deduxit; contra haeretici suo confidentes ingenio, creato impotenti, decepti sunt.

Qui opibus affluit, avaritiae ne studeat, sed quantum in se est, Deum imitetur, qui sua bona omnibus liberaliter largitur. Avaritia nihil est nocentius, avaro nihil sordidius, aut tam Deo quam hominibus abominabilius. Ideoque & Mahometus dicebat: *Quinam morbus avaritia periculosior reperiri potest, aut perniciosior avaro?* Id pensitans generosus quidam, ac liberalis, ita sibi indignatus loquebatur:

Si non elargiar, dum manus possidet opes,
Pereat manus illa, avari pereant pedes.
Quisnam, sodes, avarus consequutus est bonores?
Aut cuinam liberalitas in vituperia cessit?
A liberali Deo discamus esse liberales,
Apage ergo quicunque avaritiam sanxit.

Sciamsalaimati Jurisconsulti clarissimi parens, quamquam pauper esset, & dulciaria venderet, unde *Halvani*, id est *dulciarius* dictus est, nihilominus in ipsa etiam paupertate avaritiae turpitudinem execrabatur, & ex tam tenui fortuna dulciaria doctis viris elargiebatur, ac dicebat: *Rogate pro me, ut Deus ab avaritia me servet, & ut filius meus in studiis literarum proficiat.*

ciat. Et profecto ex animi sententia, & votis res ipsi successit, quia ipse ditissimus, filius vero doctissimus evasit, ut omnibus notum est. Mahometus Benhasanus suorum bonorum trecentos habuisse praefectos legitur; ea tamen omnia in sapientia comparanda, emendis libris, alendis doctis viris, pauperum subveniendis necessitatibus consumpsit, ut vix ad tenuissimum victum ei quicquam superfuerit. Sordidissimo indusio hunc quadam die indutum vidit Abujosephus, eaque propter commiseratione motus nitidum misit illi, quod ipse recusavit dicens: *Haec serventur mundanis, nostra jam ad alterius vitae praemisimus acquisitionem, ne ibi sordescamus.* Forte id se indignum putabat, ideoque recipere recusavit, quamquam lex licita munera accipienda esse jubeat, quia hoc utilitate non caret: ad vilia autem fidelem se demittere hoc prohibet Mahometus mandato: *Fidelis ad vilia ne se abjiciat.* Ferunt quoque Arsabandium virum doctrina praeclarissimum, sed tenuissima fortuna, peponum aliquando cortices, ex loco ab hominum frequentia semoto collegisse, atque comedisse. Qua re dives quidam (cum hoc ab ancilla, quae illum viderat, rescivisset) motus, convivium ei instituit, at Arsabandius nunquam morem gerere voluit. Alti enim, ac sublimis animi viri nihil vile, nihil abjectum, nihil se indignum patiuntur. Namque divitum frequentare mensas, sese sordide ingerendo, stultorum ac parasitorum est, quos nullus arcet pudor, non quidem sapientum virorum, qui nonnisi honestissime rogati accedere debent. Hac de re audi poëtam:

Nullus stultis clauditur aditus ad mensas potentum,
Nullus obstat pudor, nulla verecundia arcet:
Quare sapiens suavem si vis ducere vitam;
Stulti personam indue, omnia licebunt.

Idem poëta alibi, nomine cujusdam doctissimi viri, qui fame peribat, nec sua doctrina victum sibi compa-

rare poterat, ita sortem suam deplorabat, ut non dubitaverit ad stultiam concedere:

Cum viderem scientiam nihil mihi prodesse,
Apudque mortales eam nullius esse momenti,
Desipui quidem, etsi insipientia displicet,
Sed ut stultus fruerer fortuna stultorum.

Alius ad asinitatem usque conquerebatur:

Affluunt bonis omnibus Asini,
Diserti vero inopia premuntur;
Fas ergo sit mihi Asinum esse,
Ne propter sapientiam inopia peream.

At philosophus omne a se cumulandi divitias studium protelet & aviditatem, & ne extra honesti lineas pedes efferat, caveat. Nam teste Mahometo, divitiarum aviditas gravis est morbus, studium ac nimia sollicitudo cumulandi, ipsius mortis est agonia, divitiae nimiae, ac illicitae mors ipsa. Quare media terenda est via, ut idem suadebat; quemadmodum enim illa cupiditas nimia evitanda est, ita & extrema paupertas, ideoque frequenter hoc in ejus versabatur ore apophtegma: *Aviditas divitiarum est morbus, emendicatio agonia, repulsa ipsissima mors.* Quod & poëta his notavit versibus:

Mortem eam ne reputes, qua solvitur corpus,
Sed eam, qua ad mendicandum adigitur probus.
Vere utraque mors est, utraque timenda,
Sed haec omnibus numeris terribilior illa.

Cumulandi anxia aviditas (testis est mox citatus Mahometus) praesens est paupertas, cum divitiae saepius refugiant eas anxie persequentes, secus earum contemptus est certissimus modus consequendi illas, cum eas contemnentem saepissime persequantur: quod hoc animadvertit poëta epigrammate:

Tu, qui divitias anxie venaris per orbem,
Siste gradum, destinatae enim sunt opes,
Ideoque videmus eas properare ad illas contemnentem,
Et qui anxie post illas currit, nihil assequitur.

Alius

Alius poëta, elegantissima quadam comparatione ad corporis humani umbram facta, hoc prosequitur idem argumentum:

Heus tu! divitiae, quas avide persequeris,
Instar sunt umbrae, quae tecum graditur:
Post hanc si curres, ipsa te fugiet,
Te vero fugientem ipsa sequetur.

Quare sapiens mediocri fortuna sit contentus, ne divitiarum copia distrahatur, ac perturbetur animus, & extra sapientiae transiliat limites, ut egregie poëta suadebat:

Tua fortuna, sapiens, esto contentus,
Ne bonorum copia obruatur, turbeturque animus:
Nam rivus puras ex suo fonte ducit aquas,
Turbatur vero cum suum exuperat alveum.

Pluribus, ad quid prosunt opes, Mahometus inquiebat, quibus nec ipsi fruuntur, nec largiuntur aliis? imo sunt illis ipsissima paupertas: quia ita vivunt, ac si nihil haberent in bonis, & continuo amissionis torquentur timore, & paupertatis.

Olim plures tenuioris fortunae, studio literarum artis alicujus, lucrandi victus causa, studium praemittebant, ne alienis indigerent opibus.

Sapiens avidus, & lucro cuique deditus, nullius est pretii, nec auctoritatis apud quempiam, nec etiam verax creditur, proptereaque in hujus sordescit ore sapientia. Deum jugiter Mahometus deprecabatur, ut ab ejus animo aviditatem hujusmodi evelleret, ne in naturam verteretur. Sapiens timeat neminem, nisi ipsum Deum, nec sit personarum acceptor. Hominum gratia divinam ne violet legem, nec se indignum quicquam committat; Haec autem praestare nequibit, si animo infixa haeret divitiarum cupiditas.

Sed unde digressi sumus tandem redeamus. Studiosus igitur tempus, ac mensuram repetendi lectionem sibi praescribat, neque id ullo modo praetermittat, neque acquiescat cor ejus & animus, donec singulis

diebus praescriptum pensum adimpleat. Circa quod sapientissimi nostri majores hanc sanxerunt regulam, ut scilicet hesterna lectio quinquies repetatur; quae vero hanc praecedit quater; ter vero quae hanc sequitur; bis quae ante tertiam; postrema semel. Haec autem animose, ac intrepide, praesertim cum repetitio, & disputatio in publico fiunt, studiosus prosequatur, omnemque a se propellere assuescat timorem. Advertat tamen, ne plus aequo animum fatiget, & immodici laboris onere debilitet, sciatque in mediocritate omnem consistere virtutem, nosque in excessu succumbere. Abujosephus fervide quidem, ac magno animi vigore in scholis disputabat, ut ferunt, ita ut admirationis non parum afferret genero, qui tunc dicere solebat: *E quidem a quinque diebus eum jam famelicum esse optime scio, unde autem tantus oriatur animi vigor penitus ignoro.*

Studiorum intermissio studiis perniciosissima est lues, quare eam, ut talem, fugiat studiosus. Cum interrogabatur aliquando clarissimus praeceptor meus, quomodo tantum studiis literarum profecisset, respondebat: *Condiscipulos praecedebam, quia numquam studiorum interrupi stadium, nec cursum intermisi, aut a praescripta mihi recessi lege.* Idem refertur de Ali Asbigiabio, quod nunquam duodecim annorum spatio, quo bella continuo orbem infestarant, & literarum abegerant studia, solito mori disputandi, & legendi finem imposuerit, sed adscito socio ubi gentium reperiebatur disputabat, atque conferebat; adeoque Sciaphaeorum sectae, cui studebat, quemadmodum & socius, princeps sua aetate evasit. Cadichan doctissimus vir hoc dabat consilii, ut scilicet studiosus nunquam ab una ad aliam materiam gradum faceret antequam priorem optime intelligeret; sic enim una materia alteri non parum facilitatis parit.

CAPUT

CAPUT SEPTIMUM.

Sua ſorte Philoſophus ſit contentus, ac in Deo ponat fiduciam.

SUa ſorte contentum eſſe oportet philoſophum, quapropter ne ſit cumulandi divitias anxietate ſolicitus, ut ſupra innuimus: ſed in Deo omnem ponat fiduciam. Deum eorum curam gerere, qui ſtudio ſapientiae, & bonorum operum incumbunt, ac inopinatas opes conferre illis experientia ipſa demonſtrat. Animus mundanis vacans rebus, ſapientiae, & virtutibus vacare non poteſt, quare optimis vacet animus, ne peſſimis obruatur. Manſuro Alhalagio quidam dixit aliquando: *Da mihi documentum aliquod, quo proficiam in ſtudiis*: cui reſpondit: *Occupa animum, ne te occupet ille*. Quaſi dicere voluiſſet, animum virtutum ſtudio occupandum eſſe, ne otio tabeſcens, ſuo ad vitia delabatur pondere. Infortunia, & rerum mundanarum jacturam parvi faciat philoſophus, nec ullum ex his concipiat animo moerorem, qui non ſolum corpori, & ſpiritui plurimum nocet, ac nihil prodeſt, ſed etiam virtutis operibus ſatis repugnat. Qui itaque ex rerum caducarum jactura concipit moerorem, poëtae hoc ſequatur conſilium:

Quod ſemel extruxerat, deſtruit tempus:
Quodque dedit, auſert rurſus, & rumpit, quam texerat telam:
Quicunque ergo ex iſtis inſanum concipit moerorem,
Eligat quod tempus nec auferre, nec corrumpere poteſt.

Negotiorum moles, & ſarcina ſapienti diminuenda eſt: quare peregrinandum eſſe cenſuerunt majores; quia patriae, & conſanguineorum cura, & ſolicitudo animi perturbant quietem; ideoque id poëtae pluribus perſuaſerunt olim rationibus:

Pe-

Peregrinare, assequeris honores,
Siquidem unio peregrinando diademata ornat.
Similiter Luna nisi suos perageret cursus,
Nunquam ad optatum perveniret plenilunium.

Aliud

Nisi peregrinatio praestans haberetur,
Nequaquam pretiosa peregrina dicerentur.

Alius aliis rationibus ad id urgebat:

Natali in solo ne diu moreris,
Sed alio te confer, ne torpeas mora.
Fluentem nonne vides puriorem esse,
Stagnantem vero aquam corrumpi?

Sapientiae, & sapientum longe majus est apud Deum praemium, quam illorum, qui pro religione decertant ferro. Voluptas, & delectatio, quae ex sapientiae studio suscipitur, nulla habita proportione mundanas superat, quare hac philosophus tamquam sua forte sit contentus. Fertur, Mahometum Benhasanum dicere solitum, quum post multas vigilias acutiores aliquas philosophiae quaestiones dissoluebat: *Vbinam sunt reges? Ubinam principes? Ubi regum filii suis voluptatibus innatantes? Longe procul absunt ab iis voluptatibus, quibus nos philosophiae beneficio fruimur; imo nostris illae comparatae stercus sunt, foetor, vapor, nihil.*

Cognita sapientiae pulchritudine procul caetera omnia a se removeat philosophus, quae ei naevum inducere possunt. Ab incunabulis ad sepulchrum speciosissimae sapientiae ancillandum esse, mox citatus Mahometus Benhasanus inculcabat auditoribus, nec latum quidem unguem ab illa recedendum esse philosopho. Doctus quidam vir Abujosephum adivit, quum extrema laboraret vita, ut illum inviseret, & jamjam morienti adderet animos. Cui viso, quaestiones quasdam proponere Abujosephus nisus est, sed cum nec vox amplius, nec vires suppeterent, dixit ei doctor illi: *Stadium jamdudum tuum cucurristi, nunc tibi est quiescendum.* Respondit Abujosephus, nunc verum esse

expe-

experior axioma illud : *Ab incunabulis ad ſepulchrum.* Quia nulla voluptas, aut delectatio nedum inveniri, ſed nec concipi poteſt ea major, quam ex memoria ſapientiae capimus : omne ergo tempus in ejus acquiſitione inſumendum eſt ab incunabulis ad ſepulchrum. Legitur, Mahometum Benhaſanum poſt mortem amico cuidam apparuiſſe, & interroganti de mortis agonia reſpondiſſe : Totus eram in quaeſtionis cujuſdam reſolutione ita occupatus, ut mortem nec perceperim, nec animadverterim niſi poſt animae egreſſum. Ferunt etiam eum dixiſſe in fine vitae ſuae : Studiorum occupatio me diſtraxit, ne ad hunc diem me pararem : verum hoc humilitatis ergo dixit ; quoniam ſequentia leguntur in contrarium inter ejus epigrammata :

Eſto paratus, quoniam ignoras,
An ingruente nocte ad auroram pervenies.
Quot enim ſani abſque ullo morbo periere?
Quotve aegroti vixere diu?
Et quot juvenes ſecure vivunt,
Quorum funeralia ſunt facta, & ipſi neſciunt.

Dixit etiam, dum apud auditores ſuos vitae noſtrae tempus deſcribebat :

Quid eſt tempus, niſi feſtinatum iter,
Quo perpetuo compellimur ad mortem?
At quod prudenti cuique magis mirandum eſt,
Iter peragitur vel ipſo viatore quieſcente.

Et de mundo conquerens dixit :

Mundus, eſt ut diverſorium poſitum in via,
In quo viatores divertere ſolent.
Ibi videbis eodem momento quoſdam adventaſſe,
Alios vero ad iter arripiendum ſeſe accingere.

Imo hoc in ipſius ſemper verſabatur ore epigramma :

Tu quem gementem edidit mater,
Amicis circum gaudentibus, & ridentibus,
Omnibus tibi enitendum eſt viribus,
Ut, cum illi te flebunt morientem, gaudeas, & rideas.

Ex his apparet itaque non imparatum illum accessisse ad mortem, sed hoc humilitatis ergo dixisse:

CAPUT OCTAVUM.

De tempore comparandae sapientiae.

TEmpus totum sapientiae studio consecrandum est ab incunabulis ad sepulchrum, vel saltem statim atque homo resipiscere occipit, & sapientiae intueri pulchritudinem, atque dignitatem. Octogenarius scholas frequentare coepit Hasanus Benzajadus uti legitur, ex quo hoc etiam planum fit: sapientiae studium omni tempore ac aetate amplectendum esse. Tempus ad studium opportunius est prima nox, ac postrema, ut supra quoque notavimus, quamquam nullum praetermittendum est. Defatigatus philosophus studio alicujus quaestionis, aut materiae, illam seponat, sumatque aliam; sic enim refocillatur animus rei novitate. Id moris Abnoabbaso solitum fuisse legimus, qui philosophiae, vel Jurisprudentiae lassus lectione, poëtas adferri jubebat. Mahometus Benhasanus noctes fere integras insomnes ducebat, & varios variarum materiarum libros ad caput lecti disponebat, ut si unius lectione defatigatus fuisset, alium caperet. Atque ita librorum familiaritate sine taedio noctes transigebat, & diem ipsum.

Hic somnum aquae vel potu, vel aspersione excutiebat, asserebatque, somni causam esse calorem, qui contrario est repellendus.

CAPUT NONUM.

De animi moderatione & in proximum caritate.

PHilosophus moderato sit animo oportet, & in proximum misericors, ejusque promoveat bonum. Ab invidia, ut ab ardente igne procul recedat, quia haec plus

plus officit subjecto, quam objecto, imo subjectum consumit, ut ignis ligna, ac tandem ignis ipse tabescit consumptis jam lignis. Hinc consulit poëta, ut nvidos sustineamus patienter ad consumendos illos.

Invidi patienter sustine livores,
Patientia enim tua interimis illum.
Sic quippe seipsum consumere solet,
Quando quid consumat, non reperit ignis.

Praeceptorem parentis loco habeant discipuli, & hos ut filios erudiat ille; ipsi vero se ament mutuo, ut fratres, ac ut tales se habeant. Quandoquidem parentis in filios amor, praeterquam quod nullis parcit laboribus in filiis instituendis, benedictionem quandam ubertim in illos instillat. Amor filiorum in parentem timorem procreat, & reverentiam; fratrum in fratres invidiae evertit fundamenta. Quorundam praeceptorum in discipulos tantus fuit amor, ut hos propriis liberis praeposuerint. Talem fuisse Barhani Aimensis amorem in suos discipulos apud Abuhasanum legimus. Siquidem is suis filiis lectionem statim a prandio dictabat, quibus, cum id aegre ferrent ob temporis importuni molestiam, ait: Caeteri a remotissimis terrarum orbis partibus ad me confluunt, ac propterea incommoda sustinent non parva, quae temporis commodioris opportunitate aliquo modo sunt compensanda, ut praeceptoris requirit caritas, ubi incommodum hoc vestrum pluribus sublevatur commodis aliis. Atque, ita ob ejus ingentem in discipulos amorem & charitatem, & filiorum obedientiam, tantum profecerunt filii, ut ambo suae aetatis omnium doctissimi habiti sint.

Contentiones & rixas, verus sapientiae fugiat amator, quia tempus omnium pretiosissimum terunt, & animi perturbant serenitatem. Contentio & rixae, sunt mentis, & animi perniciosissima tempestas. Contentiosum igitur contemne, sat est enim illi suum malum, instansque naufragium: tu vero pacis fruere tranquillitate, ut poëta dixit:

Pacificus pacis fruitur tranquillitate,
Contentioso vero malorum instat naufragium.

Oportet etiam, ut studiosus virtutis, & sapientiae, in omnibus certam sui rationem habeat, nec eam ullo modo laedat, sed cum poëta, quoties sese offert occasio, dicat:

Oculos occludo, ne proximi crimina videam,
Quasi ignorem quae peraguntur, dicunturque,
Cum nulla tamen sim praeditus ignorantia facti,
Sed. is est mihi genius, ut fratris sufferam defectus.
Nam si malum illi pro malo reddere velim,
Quid mihi proderunt studia virtutis?

Inimicum tuum opprimere vis? id virtutum cumulo, quotidianoque progressu facito: ejus injurias parvi ducito: rixas ac turbas surdus, mutusque pertranseas, ut peritissimus experientia consulit poëta:

Vis tuum sine armis opprimere hostem,
Conficere moerore, & in rabiem vertere?
Illum contemnito, operam virtutibus nava:
Et haec crudelius, quam ferrum interimunt illum.

Quae ad tuam utilitatem faciunt, & profectum in virtutibus, ea tibi cordi sint, haec enim tibi proderunt, non oppressio hostis, quam meditaris ferro, aut alio quopiam. Patientia philosopho inter caetera pernecessaria est, hinc Christus Mariae Filius, quibus pax, dixit: *Qui sustinet patienter unum ab improbo, decem lucrabitur.* Nec ad respondendum improbis prompta sit philosophi lingua, ne virtutis offendat majestatem absque ullo proventu; quia id genus hominum irritatur potius responso, & veris rationibus, ac in furorem, & rabiem agitur, quam mitescat, aut rationi submittat cervicem. Quare poëtae audi salubre consilium:

Stulta effutienti ne respondeas stulto,
Sed praestat silentio retundere furentem.

Alius vero ita ait:

Ne respondeas stulto stulta vomenti,
Nisi quae possint ejus lenire furorem;

Nam

Nam pectoris cloacam si diu exagitaveris,
Emittet foetorem nequaquam ferendum.

Neque etiam hominum de nobis judicia, & opiniones attendamus, nec audiamus, alioquin nullus dabitur rixarum finis, cum nemo ab hominum lingua immunis sit, etsi omnem removeat occasionem; imo virtus ipsa nobis vertitur in vitium, ut egregie poëta his versibus advertit:

Nemo immunis est ab hominum lingua,
Tametsi sedulo omnes removeat causas.
Nam mutum appellant qui silentio gaudet,
Qui vero eloquentia sese delectat, vocant loquacem,
Qui bona minime prodigit sua vocatur avarus,
Qui demum suas elargitur opes, prodigus audit.
Quare, amice, surdus, mutus, transeas ista,
Nec praeter justum Dei judicium aliud timeas.

Item alius dicebat:

Nunquam homo est immunis a dicteriis,
Etsi utatur familiaritate Gabrielis.

Plurimum quoque caveat philosophus, ne quempiam contemnat, aut vilipendat, vel etiam infimae conditionis homines, quos parvi quidam ducere solent. Nam praeterquam quod hoc virtutis repugnat fundamentis, ac studio sapientiae, poterunt forte & isti aliquando, fortunae aura, secundisque ventis, miseriarum trajicere pelagus, & nocendi juvandique pollere auctoritate, ut quotidiana nobis demonstrat experientia, & poëta hoc disticho docet:

Abjectum quemquam contemnas cave amice;
Poterit fortuna eum extollere sursum, teque deprimere deorsum.

Non solum factis, sed nec verbis quidem offendere quempiam debemus, semperque ratio praecurrat linguam, a qua infinita proveniunt mala: hinc poëta ait:

Offensione linguae saepe cadit homo,
Rarius vero offensione pedis.

Si abjectae fortunae homines contemnere inhonestum est, multo turpius erit illustrium virorum deridere casus, & adversam fortunam illis objicere, quamquam utrique fortunae tempori prospicere, & tantum prosperae fidere non debuissent. Quia quo in altiori sumus positi loco, eo magis sumus expositi periculis: tempusque ac fortunam illustrioribus saepius adversari videmus, quam obscuris, ut elegantissimis his versibus poëta notat:

Duplex est tempus: securum hoc, illud timendum,
Duplex quoque vita est: haec jucunda, illa vero tristis.
Quare vel placido tempori ne fidas:
Nam post serenitatem saepe fulmina sequuntur.
Nonne vides, quod venti, validaeque procellae,
Nonnisi excelsas prosternant arbores?
Nonne vides mare putrida extollere cadavera,
Pretiososque uniones imo detrudere fundo,
Et ex innumeris, quibus caelum exornatur astris,
Nulla, nisi Solem, Lunamque Ecclipsim pati?
Quare dic, objicienti mihi infortunia temporis,
Num nisi claris tempus opponitur viris?

Quanquam & illustriores viros valde decet, benigne se gerere erga inferiores, & ancillari virtutibus, ac bonis operibus, quia haec sola nobis supererunt, reliqua cum vita, aut dignitatibus evanescunt, ut poëta nos monet, & hortatur:

Dum fortuna arridet, dum imperas aliis,
Benigne te gerito, quia brevi omnia relinques.
Contemplare priores, & imperia regum
Omnia transiere praeter unius stemmata virtutis.

Turpissimum adhuc omnium est, sapientem jactare generis claritatem, ac majorum imagines, seu prosapia gloriari illustri, cum haec fortunae potius, quam nobis tribuenda sint. Itaque sapienti sola virtute gloriandum est, non autem majorum claritate; saepe enim ex optimis parentibus pessimi procreantur filii, & ex pessimis quandoque optimi filii; quod hoc poëta egregie declarat epigrammate: *Genus*

Genus ne jactes, sed stemmata ostende virtutis:
Nam multa ab origine longe discedunt sua.
Nonne suavis Narcisus ex vili nascitur caepa,
Et ex nobilioribus cibis foetidius egeritur stercus?

Ita quoque alius poëta:

Non ille est nobilis, qui nobilibus genitus parentibus,
Sed qui sibi virtutibus nobilitatem comparavit.

Alius lepidius ait de hujusmodi jactantium genere, ac praesertim de iis, qui falsam nobilitatem venditant:

Proh! quot sunt mulae ephippiis ornatae aureis,
Quas de sessore si roges, patrem esse respondebunt.

CAPUT DECIMUM.

De pregressu in studiis sapientiae faciendo.

PErpetuo philosophus progressu sapientiae incumbat, donec ad perfectionis deveniat metam, si tamen metam ullam sapientia habeat. Quamobrem atramentarium imprimis studioso semper praesto sit, ut selectiora quaeque si occurrant, notet, ne ex memoria excidant. Dicitur enim: *Memoria labilis, scriptura stabilis.* Necnon: *Qui non habet in manica album, non habet in corde verbum.* Et sane meliora, atque elegantiora ex sapientum ore prodire solent; quia isti meliora quae legunt memoriae commendant, & horum optima in publicum proferunt. Hoc notandarum rerum consilium dedit olim Mahometus Halalio Benjasaro, ut idem Halalius refert apud Adibum, cum dixerit illi: Halali, nunquam removeas abs te atramentarium, quoniam in eo est sapientibus maxima utilitas usque ad consummationem saeculi. Hasamaddinus quoque semper filio inculcabat, ut aliquid singulis diebus memoriae mandaret, vel notaret: quia etsi modicum illud sit, brevi tamen magnum evadet, ac ingens continua accessione. Ideoque hoc illum hortabatur epigrammate:

Disce

Disce quantum potes, princeps evades:
Nec sis ignavus, quia abjectus eris.
Nam si duobus singulis diebus unam disces literam,
Omnes ut asinos longe post terga relinques.

Traditur Hasanum aureo emisse calamum, ut quod ex tempore, & casu a quodam docto viro audierat, notaret. Vita brevis est, sapientia vero infinita. Quis ergo cordatus sapientiae amator omnibus non contendet nervis, ne tempus frustra absumatur & absque fructu, & ne momenta ipsa terantur? Dicitur quippe: *Longas ne somno abbrevies noctes, & brevem diem ne criminibus producas.*

Nec pecudum more philosopho vivendum est, tempusque virtutis studio locandum, crapulae, & vitiis locet: ut poëta de ejusmodi hominum genere queritur:

Interdiu dum vigilas criminibus incumbis, & luxui,
Noctu vero aut dormis, aut similia perpetras, & cogitas,
Totusque crapulae es deditus, luxuriae, & ventri,
Nec alia ratione infelix vivis, quam belluae vivunt.

At hic mihi haec suadenti infinita occurrit poëtarum turba, meque premit, atque urget querelis: quod omnis labor, & studium, quod in sapientiae acquisitione impenditur jam vanum sit, cassumque, cum haec sui studiosos non solum non evehat ad honores, sed nec illis necessarium quidem prospiciat victum: secus fortuna ignavis favet, & improbis; ad quid ergo tam multis homines ad sapientiae studium concitas ajunt? Et primo quidem loco me impetit pauperrimus Abujosephus hoc epigrammate:

Proh! in eam incidimus temporis sortem,
In qua proficit ignavus, fortisque recedit,
Fameque pereunt doctissimi quique,
Et opibus affluit, qui lenonem agit, aut scurram.

Hunc sequitur Arsabandius, qui dum peponum cortices, ex loco a frequentia hominum semoto, collectos paupertate coactus & oppressus comedebat, ita doctorum virorum deplorabat vices:

Per-

Pereunt in silvis fame leones,
Vilesque canes carnibus saturantur.

Vix distichon illud recitaverat, en Almotnabbi poëtarum omnium facile principis vox a tergo intonat, desperatiusque quam reliqui sui temporis sapientum infelicitatem, ac conditionem deplorabat:

Magno nunc vitrum pretio venit, vilique gemmae:
Deprimitur Jupiter sub imperio Martis;
Estque tempus instar librae, quae leviora extollit,
Graviorisque ponderis deprimit deorsum.

Huic, quantum datur, cum respondere voluissem, & verbis utcunque placare, non quidem rationibus, quae nullae suppetebant, nescio quis suo cantu meas obtundit aures, & verba retundit in ore:

Hoc obmutuit Luscinia tempore,
Vespertilio vero suaviter illi cantat.
Immundus venatur aquilam corvus,
Et generosum noctua falconem:
Hinniuntque asini auribus arrectis,
Oportet ergo generosi rudant equi.

Hujus cantus suavitate perculsus & motus lepiditate, eo me converti, ut quis esset tam celebris poëta ex vultu cognoscerem, sed Zohairi Molhabi poëtae clarissimi vox, & querelae oculos anteverterunt:

Praestantes virtutibus fame perire videmus,
Opibus vero copiose affluere ignavos.
Quod unde proveniat nobiliora fatigavit ingenia,
Ideoque plures hoc convicti concessere ad ignaviam.

Mahometus Benhasanus quamquam & ipse conquereretur cum aliis, nihilo tamen minus animos aliquantulum mihi addidit, quod rei aliquam reddiderit rationem:

Hoc tempus ignavos magnos extollit ad honores,
Illustresque viros turpiter deprimit deorsum;
Sed quid mirum? nonne mare uniones fundo detinet imo,
Et putrida cadavera sursum extollit?

 Contra

Contra Mahometus Samarkandius ad desperationem usque deplorantem repraesentat virtutem, quod fautoribus omnibus sint destituti ejus sequaces, ideoque omnes fere periere, ut vix unus superstes comperiatur:

Vidi virtutem uberrimis profusam lacrymis,
Dixique illi: Cur tam desperate virtus ploras?
Quae ait: quomodo non est mihi plorandum,
Cum ex meis vix restet superstes unus?

Existimabam, cum is reticuisset, querelis jam impositum esse finem, quod caeteri attoniti haerebant, cum ecce venerabilem senem Caabum e longe properantem, & non minus, quam alios excitantem turbas, vidi, acrioribusque querelis carpentem temporis inversum ordinem:

Quam inverso miscet omnia ordine tempus!
Suorum indicant mores, indicat inconstantia rerum;
Qui suas fugaces semper imitantur umbras,
Quas ad unguem refert stagnantis aquae piscina,
Ubi caput pars nobilior demittitur ad imum,
Pedumque ignobiliores volae sursum extolluntur.

Vix mei compos eram post tam acres, tamque acerbas querelas, dubitabamque ne seditiori turba obruerer tamquam seditiosus, praesertim vero, quod nullum ad certissimam veritatem mihi adesset responsum. Timorem augebat Philosophorum, Jurisperitorum, Medicorum, Mathematicorum, ac aliorum Doctorum virorum infinita multitudo, fame & inopia concitata, quae non longe procul properans apparebat. At cum ita anxius haererem omnis expers consilii, & non parum timerem mihi, quod hoc argumentum de comparanda sapientia tractandum susceperim, en bonis avibus adest poëta quidam Aegyptius, quem caeteri ad fortunam miserant, ut cum illa conquereretur, ac sciscitaretur, cur tam parum faveat sapientibus, & hoc retulit responsum:

Fortuna ad meas ita indignata respondit querelas,
Cum sciscitarer, cur sapientibus praeferat ignavos:

Hos

Hos amo, quod mihi ſint filii, curaeque commiſi meae,
Illos odi, quod ex virtute ſint prognati rivali.

Hoc reſponſo tota turba quievit, ſedatuſque eſt omnis tumultus, & argumenti ſuſcepti proſequendi conceſſa eſt mihi facultas. Nam cenſuerunt votis conjunctis ſequendam eſſe ſapientiam & illi obſequendum, vel eo nomine, quod praemium virtutis ipſa ſit immortalitas, illud vero, quod ſuis mundus impertitur, caducum, & quod magis deplorandum eſt, nec ſuis ſtat promiſſis, ſed aliae ſunt pollicitationes, alius effectus, & finis. In hujus comprobationem unus quidam e choro poëtarum in medium prodiens omnium applauſu hoc recitavit epigramma:

Hominibus nonne mundus dicere videtur:
Cavete a dolis meis, a fraudibus cavete;
Nam quis ita excors eſt, qui bene non advertit,
Mea verba fovere riſum, opera luctum?

Alius non minori applauſu hoc addidit diſtichon:

Inſipiens mundus inſipientibus favet alumnis,
Sed vae iſtis, ſi mundus aliquando ſapiet.

Habita itaque proſequendi argumenti venia, dico: ſtudioſum nullum praetermittere debere lucrandi, ac proficiendi tempus, & labores quoſcunque ducere parvi, uti revera nihil ſunt, ſi ſapientiae ratio habeatur, & dignitas. Adulatio, ut ſupra etiam diximus, omnino vituperanda eſt, ac fugienda, imo execranda, ſi eam excipias tantum, quae nobis eorum conciliat gratiam, quorum converſatione in ſtudiis ſapientiae proficere poſſumus. Quaſi vero ea ſit ſapientiae conditio, ut vel quae mala ex ſe ſunt, ſuo famulatu bona reddere poſſit.

CAPUT UNDECIMUM.

De Religione, & Pietate.

NOn minus pietati, ac religioni ſtudeat philoſophus, quam ſapientiae acquirendae, cum haec

absque pietate officiat potius, quam prosit, ac propterea nihili habenda esset, ut poeta monet:

Si scientia pietatis expers praestans haberetur,
Omnium praestantissimus Cacodaemon esset habendus.

Tria supplicia, Mahometus ajebat, Deus infligit impio: vel enim immatura morte interimit illum, vel ad villicam relegat vitam, vel regio tradit ipsum famulatui. Mors immatura maximum est supplicium, quia merendi demitur homini facultas. Villica vita, teste ipso Mahomete, sepultura est vivorum. Regius famulatus est omnium periculis plenus: quare hunc Alvaridius philosopho dissuadebat:

Declina regem, ejusque caveto iram:
Nec servias ei, cujus dictum factum.

Item Zohairus Mohlabius ad Selahaddium regem, hoc innuit epigrammate quantum insit periculi regio famulatui:

Rident calami, cum illos contrectas,
Atque in tua prohibent imperantque manu;
Cum tibi placet, eos causas efficis opum,
Gladios vero, si perculsus fueris ira.

Quo magis pietati est deditus studiosus, eo utilior est ejus scientia, faciliusque graviores quaestiones illi aperiuntur, & reserantur reconditiores. Abuhali Abnsina (vulgo Avicenna) de seipso refert, quod plures philosophiae intellexerit difficultates orando Deum, quam praeceptorem consulendo. Interea a tribus summopere caveat, qui ad sapientiae fastigium pervenire vult, ut Mahometus suadebat, *a nimia* scilicet *satietate*, *a nimio somno*, *a nimia loquacitate*. Tres, idem asserebat, veri sapientis sunt verae notae, nempe *modestia in verbis*, *frugalitas in cibis*, *vigilia noctis*. Inter religionis opera, & pietatis connumerant aliqui abstinentiam a cibis, qui in tabernis, & plateis apparantur, cum quia immundi sunt, tum quia hos pauperes intuentur, & expetunt, quos tamen emere ob paupertatem

non

non possunt, ac ideo benedictione carere divina cibi hujusmodi censentur. Vide quanta fuit antiquorum pietas, ac religio, unde jure merito eorum fama, atque nomina immortalitati consecrata sunt. Loquax procul fugiendus est, quia plurimi est detrimenti cum pietati, tum sapientiae studio, praesertim cum hujusmodi hominum genus satis insulsum esse, ac frigidum soleat, & non parum molestum auditoribus, de quo ita eleganter poëta:

Loquacem insulsum nihil exprimit melius,
Quam hyemales longae, frigidaeque noctes.

Vitia cujusque generis, ut ab omni pietate aliena, philosopho execranda sunt, & minima, ut maxima fugiat: quia saepe a minimorum contemptu, ad maxima prolabimur, cum ex parva scintilla ingens excitetur ignis, & a momentaneo visus intuitu concupiscentia accendatur, quod hoc disticho poëta notavit:

Principium a visu crimina omnia ducunt,
Ut a parva scintilla ingens accenditur ignis.

Improborum societatem, familiaritatemque ut pestem studiosus abominetur, quia inde dubio omni procul peccandi contrahitur contagium. Ex multis unum tibi elige amicum, nec tamen facile ipsi tua concredas arcana, ut his consulit poëta versibus:

Amice ab amico vide tibi caveas,
Nec tua arcana concredas illi;
Semper hostium noxias manus evasi,
Solusque me laesit, cui mea confidebam.

Si fidus nullus comperitur amicus Mahometi Benhasan hoc sequere consilium:

Optimus amicorum est optimus liber,
Quo otium fallis cum amicorum nemini fidis;
Hic enim tua minime reserat arcana,
Tuque sapientiam ab ejus studio disces.

Nec illi censendi sunt amici, qui tibi abblandiuntur, cum secunda uteris fortuna, & adulantur potius, quam ami-

amicitiae prosequuntur te honore: horum fucum, ut lapis Lydius adversa detegit fortuna, ut Mahometus Benhasanus experientia doctus decantat:

Dum fortuna arridebat multos habebam amicos,
At ea recedente non apparuit amplius ullus;
Quare adversae fortunae ingentes habeo gratias,
Solum, quod me docuerit, quinam veri sint amici.

Quemadmodum vitia fugere debet studiosus, ita bonis moribus, operibusque studeat. Leges ne violet, omnibus nervis satagat; quia qui bonos aspernatur mores ad legum contemptum delabitur; & qui leges violat, praecepta divina minimi pendit, & consequenter Deum ipsum: Dei autem, & ejus mandatorum contemptor ad aeterna destinatur supplicia. Dum legit, aut scribit studiosus ad meridiem faciem conversam teneat: in quo Mahometum imitetur. Religiosorum virorum orationibus, & precibus se commendet studiosus: secus ab oppressorum caveat sibi imprecationibus. Praescriptas, statutasque orationes ne praetermittat, ac praesertim eam, quae dicitur *humilium*, quae ad sapientiae acquisitionem non parum juvat. Omnia fere hactenus a nobis de pietate dicta breviter his versibus complexus est religiosissimus vir Nagemaddinus Nasphius;

Praecepta serva Dei:
Orationi incumbito;
Legibus stude:
Doctor evades.

CAPUT DUODECIMUM.

De iis, quae memoriam augent, vel oblivionem inducunt.

Causae praecipuae, quae ad memoriae prosunt incrementum, sunt studium, diligentia, assiduitas, frugalitas, nocturna Oratio, lectio Alcorani. Quoties autem librum accipit studiosus ad legendum, dicat: *In nomine Dei, Laus Deo, gratiarum actio Deo, non est Deus nisi Deus, magnus est Deus, non est virtus, ne-*

que

que fortitudo nisi in Deo altissimo maximo, cui sint laudes in saecula saeculorum, & aeternitatem aeternitatum; quot sunt scriptae literae, & apices, & quot describentur. Post haec dicat: *Credo in unum Deum omnipotentem, unicum, veracem, solitarium, sine socio, quare quoscunque alios Deos abnego.*

A praevaricationibus longe recedat studiosus, quia praevaricatoribus nequaquam Dei conceduntur dona, in quorum numero memoria secundum non tenet locum, ut poëta his te advertit versibus:

Questus sum cum amico de mea fragili memoria;
Qui mihi ait: A praevaricatoribus procul recedito,
Siquidem memoria Dei est praestantissimum munus,
Munera autem Dei praevaricatoribus non dantur.

Scalptu dentium, eorumque a sordibus abstersione, potu mellis, usu butyri, ac thuris cum saccaro, nec non viginti granorum uvae passae rubrae ante cibos quoscunque memoria mirum in modum corroboratur, & adaugetur. Est praescriptarum rerum usus multis morbis curandis satis praesentaneum remedium. Phlegmatum, & humiditatum diminutio, & evacuatio ad augendam memoriae virtutem plurimum confert. Mahometum lotionem capitis, ejusque munditiem laudasse ferunt, tamquam conducentes ad memoriae, & intellectus incrementum.

Inter inducentia autem oblivionem, criminibus & vitiis primus tribuitur locus. Haec sequuntur aeris alieni obstrictio, moerores, solicitudo, & rerum mundanarum studium, ac multiplices occupationes. Jam diximus philosophum mundanis curis, & negotiis implicitum esse non debere; fieri enim non potest, quin tenebris haec offundant mentem, & animum conturbent; ubi contra curae & solicitudines, ad alterius vitae beatitatem institutae, intellectum illuminant, & illustrant memoriam. Infusi autem hujus luminis indicium est ipsa Oratio, & porrectae ad Deum preces, cum reliquis religionis & pietatis exercitiis; quia quemadmo-

admodum mundanarum curarum ſtudium hominem avocat ab exercitio bonorum operum, ita alterius vitae ſtudium & ſolicitudo eundem ad bona opera incitat. Moerorem & triſtitiam oratio ipſa repellit; & ſtudium ſapientiae ad id non parum confert, ex quo ſenior Naſarus Benhaſanus Marganianita in ſuo poëmate ita ſe adhortabatur:

Naſare ſapientiae opem implora:
Haec triſtitiam repellit: caetera vana.

Philoſopho igitur orandum eſt ad triſtitiam repellendam, aſſequendamque ſapientiam.

Mulierum amores praeſentaneum ſunt memoriae & ſapientiae venenum & contagium; quamobrem ab hujuſmodi amoribus procul recedat ſtudioſus, ut ſe feciſſe Nagemaddinus Naphenſis vir clariſſimus, atque doctiſſimus his verſibus teſtatur:

Vale, quae ſuae loquelae me devincivit lepore,
Soloque genarum aſpectu fere reddidit dementem.
Elegantis hujus puellae, cujus ſum captus amore,
Nemo ſpeciem deſcribere valet, nemo lepores.
At dixi ei vale, iterumque vale, atque vale dico,
Quia nunc diviniori ſapientiae ſum captus amore,
Interque ſapientes, & qui virtutibus operam locant,
Tales comperio amores, ut mihi caeteri ſordeſcant.

Clariſſimi viri hujus factum eo admiratione eſt dignius & laude, quo promptior erat occaſio, & conſequendi ſui amoris finem facilitas: quia puella, cujus deſcribit ſpeciem, pulchritudinem, gratias, & lepores, ejus erat juris, ac proprio empta aere; unde plane apparet, eum id ſolo ſapientiae amore perculſum feciſſe. Quandoque enim plures id faciunt, aut difficultatibus impediti, aut mulierum pertaeſi moroſitate, & perfidia, cum raro harum amor ſit ſincerus, ſi experientiae & poëtae expertiſſimo credimus ita cantanti:

Mulierum amores ſi quis ſcire exoptat,
Huc accedat, eumque ſatis expertus docebo.
Dum floret juventus, dum ſuppetunt nummi,

Ardet

Ardet amor: his deficientibus extinguitur ille.

Quamobrem caelibem vitam tamquam magis ſapientiae ſtudio accommodam pluribus idem philoſopho ſuadet, ſuamque ſimul his verſibus deplorat vicem:

Cave ſtudioſe, ne mulierum capiaris amore
Sed vacuus curis longas ducito noctes;
Caelibemque tibi, quaeſo, eligito vitam,
Procul expulſis abs te femineis dolis.
Amore mulierum jam ſum pauperrimus factus,
Earumque tyrannis me reddidit dementem.
Nec dubito ſi doctor in harum incidat amores,
Quin codicem, pileumque a ſe deſperatus abjiciet.
Quare caeli moderator huc tuam mittito opem,
Meque ſemel captum vendica miſerum;
Quoniam ſunt mihi anguſta tota ſpatia terrae,
Nec infelicem me amplius locus capit ullus.
Quamobrem aut me, aut illam interime morte:
Quia multo ſuavior eſt mors, quam improba uxor.

Vide, ſodes, qualem habuiſſe oportuit poëtam hunc uxorem; & an ubi hujuſmodi ſunt feroces belluae ſapientia & memoria habere poſſint locum, vel hoſpitium. Imo totam fere diem infeliciſſimus poëta foris tranſigebat, ut aliquam requiem capere poſſet, uxoris improbae fugiens querelas:

Praeterit dies nec meam domum reviſo,
Improbae uxoris fugiens querelas;
At ingruente nocte obſtrepunt voces,
Non ſecus, ac ſi eſſemus gallinae in cavea.

At aliquis dicet forte; hunc juvencularum, & earum quae pulchritudinem jactant, morbum, ac vitium eſſe ſolere, non vero earum, quibus jam & ſpeciei, & juventutis flos decidit, iſtae enim mitiores, ac cicuratiores eſſe ſolent. Credidiſſem profecto, niſi Iſmaël Almokrius doctor, & poëta graviſſimus his mihi de ſua uxore occuriſſet verſibus:

Eſt mihi uxor; quae meum ſemper carpit argentum,
Mordet, lacerat non ſecus ac rabidus canis.

Dentes sunt acuti, sed his acutior lingua.
Pallet, claudicat, tamen pulchra vult haberi.

Exactius hoc alio epigrammate hujus prosequitur pulchritudinem, lepores, & descriptionem:

Aetate jam est confecta haec sordida Anus,
Sed utinam conficiatur gladio, aut hasta.
Color lentiginosus, surditas occupat aures,
Lippitudo oculos, nasus latrinas repraesentat.
Incurvus est venter, pede claudicat utroque
Callis est obducta manus, ut ei nec officiat ignis.
Proh! quem gradiens turpem ostentat gibbum!
Illa ridente sol vel in meridie obscuratur.
Fabulas mille narrat, semper suos admiscens amores.
Sed utinam sepulchrum ejus foveat amplexus!

Illa tandem mortua, & ut aliam duceret suadentibus amicis respondit:

Uxorem ducito, dicunt, suadentque Amici.
At proh infelix! iterum me infortuniis tradam,
Et cordi meo serpentum ipse sarcinam imponam,
Qui hominem mordent vivum, nec mortuo parcunt?
Cumque liber sim factus semel, sponte mancipium fiam?
Apage, apage, quaeso amici, mulieres.

Itaque, ne in similia incommoda incidat philosophus, penitus mulierum detestetur amores, & commercium fugiat, ne sapientiae loco, ut de se testatus est poëta, dementiam contrahat. Si autem studiosis juvenibus amores hujusmodi sunt detestandi, multo magis senioribus, ac praesertim qui scientias profitentur, detestabiliores esse debent. Nam (res mira narratu) vidimus aliquando quosdam, qui juvenes ut perniciosissimam pestem fugiebant amores, seniores vero iis ad insaniam usque capi. Unde poëta ille exoptabat, ut inversa sibi contigisset aetas:

Dum juventus valebat, dum suppetebant vires,
Nec Venerem curabam, nec placebant amores,
Nunc invalescentibus canis concupiscentia ardet;

Uti-

Utinam canus essem natus, tum ad juventutem rediissem.

Alius dixit:

Utinam rediret juventus quandoque,
Ut illi indicarem, quid patraverit senectus.

Demum inter oblivionem inducentia connumerantur coriandri recentis & acidorum pomorum usus, contemplatio suspensorum, incessus inter camelorum greges, lectio Epitaphiorum, pediculorum vivorum super terram projectio, atque ex cervicalibus venis sanguinis emissio.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

De illis, quae bona augent, vel impediunt, ac de iis quae vitam producunt vel corripiunt.

ALimenta sunt necessaria studioso, ergo & comparandorum alimentorum cognitio, ut sapientiae studio vacare possit. Item vita, & sanitate ipsi opus est, igitur & cognitione eorum, quae vitam producunt, & sanitatem servant, vel instaurant. De his integrum volumen majores nostri ediderunt, ex quo pauca huc afferre lubuit. Caeterum eo remittimus lectorem, ne praeter instituti nostri rationem excresceret libellus.

Asserebat Mahometus, quod nihil magis obstet paupertati, quam Oratio, & ad Deum fusae praeces; ut nihil magis vitam producat, quam opera justitiae, & honor parentibus exhibitus. Contra nihil magis bona prohibet, arcetque & vitam corripit, quam criminum perpetratio, praesertim mendacium, scelerum omnium radix & principium. In hujus rei comprobationem legitur, duos vixisse Mahometi tempore fratres, mortalium omnium scelestissimos, qui tandem audita Mahometi fama resipiscere decreverunt, sed perpetrandorum criminum habitum, qui altas in eorum cordibus emiserat radices, a se exuere posse minime confidebant. Nihilominus Mahometum adeunt, eumque de salute consulunt, & exuendi mali habitus exponunt ei diffi-

cultatem. Qui, aequo animo estote, ait illis, vestram ad me recipio salutem, si praestito mihi juramento ab uno duntaxat abstinueritis mendacio, caetera peccata vobis impune permitto. His auditis a Mahometo fratres libenter praestito juramento promiserunt se a mendacio omni religione temperaturos, atque ita laetissimi ad sua redierunt. At, cum rem apud se penitius perpendere caeperunt, bene animadverterunt, nullum crimen, aut scelus quodcunque absque mendacio committi posse. Nam dicebant illi; si noctu nobis, dum aut fornicatum, aut latrocinatum ibimus, principis occurrerit cohors, & quo eamus, aut quid machinemur interrogaverit, quid respondendum erit? Si veritatem, ut Mahometo praestito juramento promisimus, ecce furca, ecce patibulum: si mendacium dicemus, ecce perjurium. Itaque nullum invenire potuerunt ad peccatum aditum absque mendacio, unde ab omnibus abstinere illis oportuit. Ex quo planum fit mendacium esse delictorum omnium principium, & quasi clavem.

Matutinum tempus absumere somno, sapientiae, & facultatum certissimum est detrimentum, quia id tempus ad utriusque comparationem omnium est opportunissimum. Hinc eleganter, atque vere jactatur illud in scholis: *Corpus somno pinguescit, intellectus vigilia crescit.* Quidam vir doctissimus dicebat: *Nonne maximum est detrimentum noctes sine utilitate transigere, easque de tempore vitae nostrae computare?* Quam ob causam alius dicebat. *Vigila noctu virtutibus, & pretiosissimam vitam ne somno absumas. Quomodo enim vivus es censendus, dum somno, qui simillimus est morti, es immersus: & virtutibus, ad quas nati sumus, dum minime incumbis, homo vis haberi?*

Sequentia etiam tibi diligenter observanda sunt, scilicet: Cave, immejere nudus, aut nudus jaceas, nec cubito innixus comedas, aut cubans: mensas, vel cibos ne conculces; cortices caeparum, & allii ne comburas: aedes tuas noctu ne converras, purgamenta domus,

mus, & ſordes egerito: ſeniores, & magiſtros ne praeire audeas: parentes proprio nomine ne appelles: dentes quocunque ligno ne ſcalpas; manus luto, vel terra ne laves; ad limen portae ne ſedeas, nec ad oſtii poſtes innitaris; legales lotiones in latrinis ne perſolvas; veſtimenta ſuper tuum corpus ne conſuas, vultum ne abſtergas induſio; domum a telis aranearum emunda; orationes, & preces cave negligas; e templo poſt matutinam orationem ne ſtatim egrediaris, nec ſummo mane ad plateas prodeas, vel ſero inde revertaris; panis fragmenta a pauperibus emendicantibus cave emas; parentibus mala ne impreceris; vaſa ciborum & potus cooperias, lucernam ne extinguas flatu. Haec omnia exacte obſerva, ſi paupertatem evadere vis. Similiter ſi eandem effugere cupis, ne colligato ſcribas calamo: fracto pectine ne barbam diſcrimines: bona parentibus precare: cidarim ne ſedendo complices; femoralia ſtando ne induas; avaritiae, conviciis, prodigalitati, tarditati, pigritiae & otio, cave ne ſis deditus; negotia, ac ea omnia, quae muneris tui ſunt, ne contemnas, aut negligas: ex his enim omnibus oritur paupertas.

Ad ea autem, quae bona augent, quod attinet, eleemoſynae primus datur locus, ideoque homines hortabatur Mahometus dicens: *Bona ex caelis in terram attrahite eleemoſynae funibus.* Primitiarum quoque oblatio bona auget cumulatiſſime. Elegans characterum pingendi ars ex bonorum clavibus una eſt, quemadmodum & hilaritas vultus, humanitas, comitas, ac ejuſmodi. Haſanus filius Ali Bentalebi dicere ſolebat: *Atrii mundatio, vaſorum lotio, fornicationis abominatio ſunt divitiarum cumulatio.* Sed cauſarum omnium, quae facultates augent, praecipua eſt humilis oratio, & magnificatio Dei cum omnium rituum ad eam ſpectantium, & caeremoniarum, ac temporis exacta obſervantia, quibus accedat aſſidua Alcorani lectio. Templum ante datum ſignum adeat, qui bona a Deo praeſtola-

ſtolatur; opera ſupererogationis ne praetermittat; matutinas horas domi perſolvat, mundana, ac vana ne loquatur, praeſertim ſtatim poſt peractam orationem: nec diu cum mulieribus converſetur, niſi id poſtulet neceſſitas. Verba inania, & inutilia ne jactet, dicitur enim: *Qui inutilibus dat operam, utilia perdit.* Imo loquacitas ſtultitiae eſt evidentiſſimum ſignum: hinc dicebat Abuzerus Giamharus: *Si quem loquacem eſſe videris, de ejus ſtultitia certus eſto.* Ali vero Bentalebus hoc ſaepe apophtegma recitabat: *Perfecto intellectu, deficiunt verba.* Addebatque hoc diſtichon:

Quum perficitur intellectus deficiunt verba,
Certuſque ſemper eſto de ſtultitia loquacis,

Dicat etiam a principio aurorae uſque ad orationem matutinam centies: *Laus Deo magno. Laus Deo, quem, ut mihi propitius ſit, humiliter rogo.* Rurſus centies dicat: *Non eſt Deus, niſi ipſe Deus rex verus, notus, ac evidentiſſimus mane ac veſpere ex ejus operibus.* Et poſt orationem matutinam dicat ſingulis diebus triginta tribus vicibus, *Laus Deo, gratiarum actio Deo, non eſt Deus niſi ipſe Deus.* Tum addat triginta quatuor vicibus: *Maximus eſt Deus.* Poſt orationem vero veſpertinam veniam a Deo petat ſeptuaginta vicibus itemque poſt matutinam; frequenter autem haec verba repetat: *Non eſt fortitudo, neque virtus niſi in Deo altiſſimo, fortiſſimo, maximo.* Die autem Veneris dicat ſeptuaginta vicibus: *largire mihi Deus quae licita ſunt, & remove a me illicita, atque benignitate tua, quae mihi opus ſunt, concedito, ne aliorum, praeter tua, egeam bonis.* Has quoque laudes diu noctuque meditetur, & recitet: *Tu es Deus potentiſſimus, ſapientiſſimus, munificentiſſimus. Tu es Rex ſanctiſſimus, miſericors, liberalis, creator paradiſi, & inferni, ſciens abſentia, & praeſentia: tibi nota ſunt abſcondita, & arcana omnia. Tu es Deus maximus, altiſſimus. Tu es Deus creator omnium, & ad te revertentur. Tu es Deus judex in die judicii immutabilis,*

bilis. Tu es Deus, & non est Deus nisi tu misericors miserator. Tu es Deus, & non est alius Deus nisi tu Rex sanctissimus, purissimus, pacificus, verax, fidelis, fortissimus, potentissimus, altissimus. Non est alius Deus nisi tu Deus creator, plasmator, formator, quem omnia perfectionis, & beneficentiae decent nomina: laudent te quae sunt in caelis sursum, & in terra deorsum potentissime, ac sapientissime. Haec omnia bona augent.

Quae vero vitam simul producunt, ea sunt, justitia, innocentia, misericordia, seniorum veneratio, fertur enim, quod qui senem veneratur, ejus assequetur aetatem. Dicat etiam qui vitam exoptat longaevam, ter singulis diebus mane & vespere: *Laus Dei regi trutinae sapientissimo, clementissimo, cui vel caelorum pondera nota sunt.* Et: *Non est Deus nisi Deus rex trutinae, sapientissimus, & clementissimus, cui sunt nota vel caelorum pondera.*

Caveat etiam, ne virentes amputet arbores, nisi ad id necessitas cogat, quia omnia Deum laudant, ejusque testantur existentiam, & singularem providentiam, quod amputatio, & destructio hujusmodi impedit. Legales lotiones exacte perficiat, Alcorani lectioni sedulo operam det, ac vacet, peregrinationes rite persolvat, sanitatem praeservet, ac servet, sed caveat praesertim ne extremis caloribus, & frigoribus se exponat. Opus est ei demum, ut medicinae aliquid ediscat, legatque praesertim Abuhabbasi Almostagsari collectanea inscripta *Medicina prophetica.* Si quis autem dicet: ubi invenietur liber hujusmodi? hoc dabitur illi responsum: *Qui quaerit, invenit.*

LAUS DEO.

NOTAE.

NOTAE
ABRAHAMI ECHELLENSIS
EX CAPITE PRIMO.

Mundi hujus. *Fabulantur Mahometani Deum creasse octodecim millia mundorum, ex quorum numero hic est unus, in quo degimus, propterea dicit,* Mundi hujus, *ut illum ab aliis contradistinguat.*

Astrologia illa judiciaria. *Hanc Astrologiae partem maximopere detestatus est Mahometus, & proxime illi succedentes: sed paulatim successu temporis ita altas jecit inter Mahometanos radices, ut illa inconsulta nihil agerent. Paulatim tamen Christianorum philosophorum, & doctorum virorum suasione, & argumentationibus evanuit, ut constat ex Eliae Nisibensis Episcopi sessione septima in qua cum Alveziro Abulcasemo acriter, ac docte de hac materia ita disputavit, ut Alvezirus, qui huic arti addictissimus erat, dixerit;* Per Deum aliquem mihi injecisti contemptum erga hanc scientiam.

EX CAPITE QUARTO.

Alexander bicornis. *Ita Arabibus Mahometanis dicitur Alexander Macedo, quod utriusque Orbis cornu suae ditioni, & imperio subjecerit. Sunt, qui fabulantur, eum vere duo habuisse cornua, quae soli tonsori nota erant. Hic vero cum tantum arcanum neque in pectore continere posset, neque reserare auderet cuiquam, immisso capite in os cisternae cujusdam, ut pectus exoneraret tanto pondere, occinere caepit haec verba:* Alexander est bicornis, Alexander est bicornis. *Tum ea in cisterna duae enatae sunt arundines, quae ex ventorum agitatione, & mutuo attritu, hunc quoque sonum edebant;* Alexander est bicornis, Alexander est bicornis,

nis, *uti fabulantur poëtae de auribus Midae. Alii graviores fabulatores hoc facile non concedunt, sed asserunt pastorem quendam fistulam confecisse ex illis arundinibus, quae voces hujusmodi edebat. Georgius Benabiasarus non cornua eum habuisse vult in suo Chronico, sed cornuum signa, seu vestigia. Quidam volunt eum ita appellatum fuisse, quia primus omnium cornua posuit in diademate regio. At Jesudad Episcopus Hadtensis vetustus, & gravis scriptor in expositione libri Geneseos, id tribuit Chesronisso Parthensi tertio a Nemrod Chaldaeorum regi, qui defunctus est anno 137. post Nemrod. Alii demum ita dictum volunt quia cornua sunt fortitudinis typus, qua Alexander summopere pollebat.*

Quia parens de caelo in terram me descendere fecit. *Isti post Origenem docent, Deum omnes animas simul creasse, sed in caelo, ac multo tempore ante creationem mundi inferioris, remque hoc modo serio narrant in libro, quem inscribunt,* Subtilitates de cognitione veritatis. *Primo omnium creavit Deus Mahometis lucem, seu splendorem, pavonis referentem similitudinem, quem in candidissima reposuit margarita, & hanc in pulcherrima quadam appendit arbore & ibi Deum laudavit annos circiter mille. Tum creavit Deus speculum vitae, & vultui ejus opposuit illud; qui cum suam imaginem pulcherrimam esse aspexisset quinquies adoravit Deum; ex quo factum est ut Mahometani quinquies in oratione persolvenda adorent. Splendor autem ille Mahometis, qui formam pavonis referebat, ex Dei conspectu totus sudore perfusus est. Tunc ex sudore ejus capitis creavit Deus Angelos. Ex sudore vultus creavit solium, tabulam in qua omnia scribit, calamum, Solem, Lunam, velum, stellas, & quicquid in caelo est. Ex sudore pectoris creavit Prophetas, Apostolos, Doctores, Martyres, & bonos quosque. Ex sudore dorsi creavit Mecham, & ejus templum, Jerusalem, & omnia loca in quibus colitur Deus. Ex superciliorum sudore creavit Gentem Mahometicam utriusque sexus. Sudore*

aurium creavit animas Judaeorum, & Christianorum, & Magorum, sive Ethnicorum, ac similium. Ex sudore pedum creavit terram universam, & quicquid in ea est. Post haec jussit Deus, ut animae choreas ducentes circumcirca Mahometi splendorem, gratias creatori agerent, quod spatio septuaginta annorum millium praestiterunt. Tum praecepit eis, ut adspicerent Mahometi pavonicam figuram, quae morem gesserunt. Cui ergo caput ejus videre contigit, Chalifa, & imperator destinatus est. Qui vero frontem vidit, inferioris notae princeps. Qui dextram, Dei Legis observantissimus. Et qui supercilium, pictor: qui aures, obediens, & acceptus hominibus: qui genas, pulcher & sapiens: qui nasum, medicus, & aromatarius: qui labia prorex: qui os, jejunans: qui dentes, facie decorus: qui linguam, imperatorum, & regum legatus: qui guttur, concionator: qui barbam, miles, ac propugnator pro divinae religione: qui collum, mercator: qui brachia, lanceator, & gladiator: qui brachium dextrum, Chirurgus: qui sinistrum, stultus, & ignavus: qui volam dextrae manus, nummularius: qui volam sinistrae mensurator: qui utramque, liberalis, justus: qui dorsum manuum, avarus, & sordidus: qui digitos, scriptor: qui dorsum digitorum dextrae manus, sutor, & qui sinistrae, faber ferrarius: qui pectus, doctus, honorabilis, & solicitus in bonis operibus persolvendis: qui dorsum, humilis, & legibus morem gerens: qui latera, latro: qui ventrem, continens, religiosus: qui partem superiorem pedum, piscator, & venator: qui pedum volas, tabellarius, & cursor: qui umbram, circulator, & mimus: qui demum nihil, Judaeus, Christianus, & infidelis. Haec illi in libro subtilitatum. Animas ita creatas & destinatas Deum suo tempore juxta generationis exigentiam in corpora infundere volunt, & ex caelo demittere, ideoque dixit Alexander apud nostrum Auctorem ex Mahometanorum opinione: Quia parens de caelo in terram me descendere fecit.

EX CAPITE SEXTO.

POrtio circuli est cadens. *Jurisperitorum haec est loquutio: qua significant expensas funeris in hereditate non esse deputandas.*

EX CAPITE UNDECIMO.

DUm legit, aut scribit studiosus ad meridiem faciem conversam teneat. *Eo faciem convertunt Mahometani dum orant, vel quicquam ad religionem attinens faciunt, quia in ea parte templum Mechanum situm est, ex Judaeis accepto ritu, qui ad suum templum conversi orant.*

EX CAPITE DUODECIMO.

PEdiculorum vivorum super terram projectio. *Hoc piaculum existimant Mahometanorum aliqui: quia animalcula hujusmodi ex humano gignuntur corpore, & sunt illis quasi portio humani corporis.*

EX CAPITE DECIMOTERTIO.

MEdicina prophetica. *Librum hunc compilavit olim Abuhabbasus Almostagfarus, & Mahometo pseudoprophetae uuncupavit, ideoque inscripsit illum* Medicina prophetica. *Eum magni faciunt Mahometani, cum quia egregie, ac perdocte, hanc tractat materiam, tum quia Mahometo est nuncupatus.*

ΕΠΙΜΕΤΡΟΝ

HADRIÁNI RELANDI.

PAg. 2. تعليم المتعلم, qui titulus Libri eſt. In Codice meo manuſcripto non additur nomen Auctoris, ſed in Roſtgardiano. Conſtat tamen Auctorem eſſe Borhaneddinum Alzernouchi, vel Alzerberzji, ut alii ſcribunt, quae differentia nata eſt ex ſimilitudine ductuum in vocibus الزرنوخى & الزرجى quae ſine punctis diacriticis ſcriptae facillime commutari potuerunt. Meminit hujus libri Vir harum literarum peritiſſimus Bartholomaeus d'Herbelot, in Bibliotheca Orientali ad vocem *Talim Almotallam* (qui libri noſtri titulus eſt) haec ſcribens. Talim Almotallam. Methodus docendi.. Liber compoſitus a Borhaneddino Alzerbergi vel Zerbougi. Diviſus eſt in 24 capita, & commentario illuſtratus eſt anno Hizrae ſive Aerae Mohammedicae 996, imperante Amurathe III, ab Ebn Iſmael in gratiam unius ex praecipuis

Eu-

Eunuchis Gynaecei. Hoc opus traductum est in linguam Turcicam per Abdalmagid ben Nassouh, ben Israel hoc titulo, Erschad Althalebin fi talim almotallamin. Invenitur Liber Zerbergi vel Zerbougi in Bibliotheca Regia *num.* 906. hoc titulo, Talim almotallam tharik altallam, & liquet Scriptoris scopum esse ut doceat pietatem cum studiis jungendam esse. Hactenus Herbelotius. Quod scribit in 24 Capita librum esse divisum, menda est typographica pro 14. Extat quoque hodie in Bibliotheca Regis Galliarum hic liber *num.* 906. & illi haec in initio adscripta leguntur.

> *Talim almotallem tharik altallem.* De recta juris discendi ratione juxta Legis Mohammedicae Canones & instituta. Liber in quo praecipue docetur pietatem cum literarum studio jungendam esse. Auctoris nomen est Borhaneddini Alzarbougi vel Alzarnoukhi. Scriptus hic codex anno Hegirae 952.

Ex illo Codice suum exemplar, quod nos hic edimus, Ill. Rostgaard describi curavit elegantissima manu Jacobi Salomonis Damasceni, & cum autographo contulit anno 1697. Idem tamen me monuit extare hunc libellum in eadem Bibliotheca Regia *num.* 905. in cujus fronte haec leguntur.

Talim almotallem. Inſtitutio diſcipuli illa praecipue docens quae ad pietatem cum ſtudio legum conjungendam conferunt. Opus tredecim vel ut alii volunt quatuordecim capitibus conſtans, cujus Author eſt Imam Borhanneddin Alzarnoukhi , vel ut alii ſcribunt Alzarbougi. Scriptus eſt hic Codex anno Hegirae 988, [charactere Perſico] Accedit huic operi tractatus de erciſcunda haereditate.

Commentarium Ibn Iſmaelis, cujus Herbelotius meminit, ipſe poſſideo M.S.tum : quodque idem addit anno Hizrae 996 conſcriptum eſſe, ſub finem codicis mei notatur; سنه ستت و تسعين و تسعماية.

Pag. 4. *lin.* 4. وضل لا) MS. meum ضل ولا ينال *errat & non aſſequitur* : rectius.

lin. 6. الكتاب) MS. meum الكتب *libris.* Quod praefero. Nec enim ex uno libro ſed pluribus ea hauſit.

lin. 7. راغبين فيه cupientibus eum ſc. librum) Commentator meus mavult id ad ſcientiam referre, cupientibus *eam.* فيه . في العلم.

lin. 8. بالغوث) lege بالفوز i. e. الفطر على المراد victoria, quam quis de ſe & voluntate ſua reportat.

lin. 9. استجرت) Recte hoc emendavit Ill. Inter-

terpres استخرت quod in meo quoque codice legitur.

lin. 12. ماهية) al. مايية. Quidam volunt has voces ſenſu convenire, alii differre.

Pag. 6. *lin.* 2. واستانة) deeſt haec vox in meo. Nec habetur in fronte capitis quarti. Vide ſupra *pag.* 40.

lin. 4. والهمة) deeſt & haec in meo.

lin. 9. والنصحة) leg. النصيحة.

Pag. 8. *lin.* 9. وانما &c.) in meo بل يفترض عليه.

lin. 13. بدله) بد له.

Pag. 10. *lin.* 7. لله) الله.

l. 11. المعملات) MS. meum addit والحرف *& artibus*.

lin. 15. والرضا) Codex meus addit بحكم الله وقضايه, decreti divini.

lin.ult. poſt هو adde المختص.

Pag. 12. *lin.* 7. لكونه) meus الا لكونه وسيلة.

ibid. يستحق به) in meo eſt يستحق به.

lin. 9. لمحمد) Quis ille Mohammed filius Haſſan fuerit, & unde genus duxerit, liquet ex Commentatore noſtro, qui eum appellat محمد ابن الحسن ابن عبد الله ابن طاوس بن هرمز بن نوشروان *filium Haſſan, filii Abdallae, filii Taous, filii Hormizdae, filii Nuſchirvan.* Fui autem is Nuſchirvan Celeber-

leberrimus Rex Persarum, quo imperante Mohammed, novae religionis conditor, natus esse creditur.

lin. 13. بحور) in meo بحار. Utrumque recte.

Pag. 14. *lin.* 3. غابن) عابن.

lin. 4. والعلم &c.) desunt in meo usque وكذلك. Sed haec virtutum nomina mox inseruntur post والجراة.

lin. 14. احانبن) MS. meum احايبن & ita mox quoque *pag.* 16.

Pag. 18. *lin.* الغلب) in meo الطب *Medicina*, quod & ad marginem Codicis Rostgardiani notatum video.

lin. 10. المذكور) deest in meo hic loci, sed collocatur ante والفقه linea sequenti.

lin. 12. ابو حنيفه) In meo ابوحرح, quod videtur compendium esse vocum ابو حنيفه رحمه الله. Uti mox ابو ح i.e. Abu Hanifa.

lin. 15. يفعهما) ينفعهما uti mox *pag. seq.*

Pag. 20. *lin.* 1. كبلا) لا كي.

lin. 4. واحبار) واخبار.

Pag. 28. *lin.* 5. اكماهكم. Persice appellatur hoc استبن uti Comment. nost.

Pag. 40. *lin.* 8. يار &c. Integrum hoc carmen Persicum ita extat in Commentario.

يار

يار بد بدتر بود از مار بد
بحق ذات پاك الله الصمد
يار بد آرد ترا سوي جحيم
يار نيكو كير تا يابي نعيم

Socius malus pejor eſt angue malo.
(Per veritatem eſſentiae Dei purae!)
Socius malus te rapit in gehennam.
Socium bonum cape ut invenias delicias.

Scilicet Paradiſi. Secundus verſus continet jura-ramentum ſcriptoris, quo dicta ſua firmat. Non poſſum non hoc loco adſcribere diſtichon Perſicum, quod elegantiſſimum videbitur (mihi quidem ita viſum eſt) illis qui norunt quomodo Arabes & Perſae ſoleant primam literam *Elif*, quae recta eſt, flectere & incurvare quando cum *Lam* ſcribitur. Ita habet

دور باش از حريف بي اندام
كه كج اين الف بصحبت لام

Remove te a ſocio malo
Elif enim curvum fit, quando conjungitur cum Lam.

Sc. uti *Elif* litera, quae ſua natura recta eſt nullamque curvaturam habet, curva redditur quum literae *Lam* jungitur, ita bona indoles malo conſortio corrumpitur & in deterius flectitur. Haec incurvatio literae Elif maxime conſpicua eſt in Inſcriptionibus Arabicis antiquis

quae Panormi & Puteolis leguntur, in quibus *Elif* aeque curvum eſt ac ipſum *Lam.*

Pag. 56. *l. pen.* كلب) Hoc dictum Mohammedis aliunde hauſtum a nobis inſertum fuit l. 11. c. 25 *de rel. Mohamm.* contra eos, qui ſcribunt canem Turcis non eſſe animal impurum.

Pag. 124. *l.* 2. عيسى) Unde illi hauſerint hoc eſſe dictum Jeſu, Soſpitatoris noſtri, incertum eſt. Rem ipſam quod attinet, verum eſt Chriſtum ſuis commendaſſe plus ſemel pati & tolerare illatas injurias, nec illas ulciſci. Sed nil mirum Mohammedanos hoc dictum finxiſſe, quum tot dicta Mohammedis ſui finxerint, ut ſi illa omnia vere pronuntiaſſe Mohammed credendus ſit, multo longior aetas ei adſcribi debeat, & non niſi ſententias die noctuque protuliſſe eum oportuerit: quod tamen cum ejus genio & modo vivendi parum videtur conveniſſe.

Pag. 150. *lin.* 7. قراة) Lectionem Inſcriptionum ſepulcralium nocere memoriae vetus eſt traditio. Huc faciunt ea quae leguntur apud Ciceronem in Catone majore ſive dial. de Senectute cap. 7. *Equidem non modo eos novi qui ſunt, ſed eorum patres etiam & avos: nec ſepulcra legens vereor (quod ajunt) ne memoriam perdam: his enim ipſis legendis redeo in memoriam mortuorum.*

F I N I S.